

Q. F. F. Q. S.

UNIVERSITATI LITERARUM JENENSI

QUAE

ANTE HOS TRECENTOS ANNOS AUSPICATO CONDITA

EX EO USQUE TEMPORE LITERAS ARTESQUE INGENUAS COLUIT FOVIQUE ET PRO SENTIENDI
DICENDIQUE LIBERTATE FORTITER PROPUGNAVIT ET VERITATIS LUMEN IN REBUS DIVINIS
HUMANISQUE ACCENSUM PER PATRIAM DIFFUNDERE PERGIT

SOLENNIA SECULARIA

DIEBUS XV—XVII M. AUGUSTI A. MDCCCLVIII

RITE CELEBRANTI

GRATULABUNDUS

OPTIMA QUAEQUE PRECATUR

UNIVERSITATIS LITERARUM MARBURGENSIS

PRORECTOR CUM SENATU.

Inest commentatio de academia literaria Atheniensium seculo secundo
post Christum constituta.

M A R B U R G I

T Y P I S A C A D E M I C I S E L W E R T I .

Bibliothèque Maison de l'Orient



154711

De
academia literaria Atheniensium
seculo secundo post Christum constituta.

Qualem in campo, variis arboribus obsito, quercum annosam olim tegmine patulo umbrosam, nunc vero prae vetustate truncam singulosque tantum ramos extendentem cum religione quadam intuemur atque veneramur, tales Athenae, reliquiae humanitatis graecae sub Romanorum imperio superstites, nobis apparent splendore solis occidentis quasi collustratae. Athenae enim, inde a Pisistrato sedes perpetua literarum artiumque, gloriam antiquam etiam post libertatem amissam sub imperatoribus quodammodo servarunt, non illius quidem eruditionis multiplicis variaeque, quam in rebus grammaticis criticisque versatam singuli viri docti classesque hominum Alexandriae tanquam ius praecipuum sibi petebant obtinebantve, sed philosophiae, quae res humanas divinasque cognoscere docet, sed eloquentiae, qua res bene cognitae recte eleganterque explanantur, sed humanitatis universae, quam sibi quisque sive graecus sive peregrinus ibidem comparare avebat. Quod quum inprimis scholis apud Athenienses tunc institutis effectum esse constet, operae pretium visum est de academia literaria¹⁾, qualis

1) Ea de re scripserunt *Lud. Cresollius*: Theatrum veterum rhetorum, oratorum, declamatorum, quos in Graecia nominabant σοφιστάς. Parisiis 1620; in Gronov. Thes. Graec. Antiq. Tom. X p. 1—244. — *Herm. Conring*: De anti-quitatibus academicis dissertationes VI, inprimis I (1637) et IV (1638), in Operib. eius T. V

p. 398 sqq. — *Io. Andr. Schmidt*: Exercitatio academ. de gymnasiis literariis Atheniensium. Jenae 1688. — *Gottlieb Wernsdorf*: Dissertatio historico-critica de moribus iuventutis scholasticae in academia Attica. Gedani 1758. Repetit. typis in Actis iubilaei secundi Gymnas. Gedanensis p. 166—179. — *Birg. Thorlacius*: Ritus. quibus philosophicarum

florebat Athenis inde ab Hadriano imperatore, qui primus Caesarum rebus Atheniensium prospexit, usque ad Iustinianum, qui scholas Atticas edicto clausisse fertur, pro viribus disputare.

Athenae, quasi parens nutrixve humanitatis²⁾, in literis artibusque, quas vel invenerant vel amplificaverant, principatum, quem summo iure olim adeptae erant, etiam post Alexandri magni obitum, dum Ptolemaeorum munificentia eruditioni doctrinaeque novas Alexandriae sedes constituit adeoque sub Romanorum dominatu, quamvis servitio premerentur, sibi usque vindicaverunt. Literae enim, altioribus radicibus defixae, non facile se expelli patiuntur, neque Musae domicilium ipsis gratum lubentes excedere solent. Romani autem victores a victis Atheniensibus cum alia humanitatis studia, tum philosophiam frequentes petebant et discebant, certe post Sullam dum res publica libere florebat. Postea sane sub primis Romanorum imperatoribus, qui regni stabiliendi causa mentem a rebus peregrinis ad domesticas advertere coacti Athenas non visebant neque Atheniensium saluti prospiciebant, scholae Athenienses a Romanis minus quam antea frequentatae fuisse studiaque philosophiae ibidem iacuisse videntur. Neque multum adiuvit, quod unus Nero, benevolum animum testatus, Athenas una cum tota Graecia in libertatem vindicavit³⁾, ut novo quodam fulgore splenderent; sed quum eruditio iuvenum apud Romanos postea ita fuisset instituta, ut graeca philosophia opus esset, cuius cognitionem in Graecia

imprimis artium cultores apud Graecos inaugurari leguntur (1806); in eius *Protus. et Opusc. Acad.* T. I p. 211—20. — *F. H. Ch. Schwarz*: *Gesch. d. Erziehung* T. I p. 485 sqq. — *Fr. Heinr. Ludolf Ahrens*: *De statu Athenarum politico et literario inde ab aethaici foederis interitu ad Antonini tempora.* Gottingae 1829. — *C. Frid. Chr. Beutler*: *De Athenarum fati, statu politico et literario sub Romanis.* Gotting. 1829. — *A. F. A. Theobald*: *Historia Athenarum inde ab interitu foederis aethaici usque ad Commodum.* Marburgi 1829. — *Fr. Chr. Schlosser*: *Universalhistorische Uebersicht etc.* Tom. III, 2. 3 (1831). — *G. Bernhardt*: *Grundriss d. griech. Lit.* T. I p. 406 sqq. p. 450 sq. (1836). — *C. O. Müller*: *Quam curam respública apud Graecos et Romanos literis doctrinisque colendis et promovendis impenderit, quaeritur.* Gottingae 1837. — *C. Seidel*: *De scholarum, quae*

florente Romanorum imperio Athenis exstiterunt conditione. *Glogaviae* 1838. — *C. G. Zumpt*: *Ueber den Bestand d. philos. Schulen in Athen etc.*; in *d. philol. u. histor. Abhandl. d. Berl. Academie.* 1842 p. 27—119. — *A. Ellissen*: *Zur Geschichte Athens I,* in *Götting. Gel. Studien* 1847 p. 771.

2) Thucyd. II, 41. *Συνελών τε λέγω τήν τε πᾶσαν πόλιν τῆς Ἑλλάδος παιδεύειν εἶναι*, et *Gregor. Nazianz. Or.* 20 p. 326. *Ἄσῆνας* dicit τὸ τῶν λόγων ἑδάφος καὶ τῶν καλῶν προξένους.

3) *Plutarch. Flaminin.* 12. *Νέρων αὐτοῖς καὶ ἡμᾶς ἐν Κορίνθῳ παραπλησίως Ἰσθμίων ἀγομένων τοὺς Ἑλληνας ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους ἀφῆκεν.* Et manserunt liberae vel sub Vespasiano (*Plin. H. N.* IV, 7), quamquam is ceteris Aethaiae oppidis libertatem ademit; cf. *Pausan. VII, 17, 4* (2) et *Sueton. Vespas.* 8.

ipsa optime sibi comparare poterant, et quum philosophi graeci raro se Romam conferrent, factum est, ut adolescentes Romanorum nobilissimi Athenas studiorum causa adire solerent magnusque numerus eorum iuxta Graecos in scholis ibi versaretur. Scholae vero Athenienses tunc ex more antiquitus tradito privatae erant singulorum magistrorum, non publicae, ita ut civitas nihil nisi forte locum, in quo literae docerentur, gymnasia, lycea, porticus permitteret. Tum literae, Athenis antea quasi sopitae, resuscitatae denuo vivebant, vigeant; attamen non omnes disciplinae artesque quales olim florebant, sed eloquentia, quae quum ad rem publicam iam fere nihil valeret, in arte oratoria sola vim suam exhibebat; sed philosophia, quae, quum in civitate imperio Romanorum subdita libere vivere non liceret, libere certe cogitandi eloquendique veniam concedebat. Seculi autem ingenium quum tunc tale fuisset, ut varias eruditionis opes humanitatisque studia inter se coniungeret, philosophiam quoque cum ceteris disciplinis connectere coepit. Itaque et Athenis novum magistrorum genus exortum est sophistarum recentiorum, qui coniuncta philosophia cum arte oratoria⁴⁾ rerumque civilium cognitione cum in eruditionis literarumque ingenium universum, tum in recens constituenda Athenarum academia vim habebant⁵⁾ maximam. Hadrianus vero imperator, vel ingenio sic ad graeca studia declinante, ut a nonnullis Graeculus diceretur⁶⁾, vel per Favorinum⁷⁾ et Plutarchum et Arrianum, qui in gratia apud eum erant, commotus, vel alia quacunque re impulsus, anno imperii nono vel CXXV p. Ch., ut videtur, non solum omnes professores et honoravit et divites fecit⁸⁾, sed etiam multa in Athenienses contulit⁹⁾ et pro agonotheta resedit atque opera ab ipso Athenis extrui coepta dedicavit, et novam urbis partem splendidissime condidit eamque aedificiis templisque liberalissime ornavit¹⁰⁾. Idem munificentissimus etiam literis scholisque¹¹⁾

4) Hinc dicit Philostr. S. I. Prooem. Σοφιστὰς δὲ οἱ παλαιοὶ ἐπωνύμαζον οὐ μόνον τῶν ῥητόρων τοὺς ὑπερφωνοῦντάς τε καὶ λαμπροὺς, ἀλλὰ καὶ τῶν φιλοσόφων τοὺς ζῆν εὐροῖα ἐρμηνεύοντας. Quibuscum cf. Synes. Dion. prooem.

5) Vulgo cum contemptu quodam de sophistis huiusmodi dicere solent, sed immerito; quantum praestiterint in acumine ingenii excolendo, in doctrina rerum propaganda, in arte dicendi scribendique conformanda et in aliis rebus quas effecerunt, docet Bernhardy Grundriss T. I p. 417 sq.

6) Spartian. Hadr. 1, quibuscum cf. Treb. Pollion. Gallien. 11.

7) Is erat literarum graecarum amantissimus et patronus; cf. Gell. N. A. II, 26.

8) Spartian. Hadr. 16.

9) Spartian. Hadr. 13.

10) Pausan. I, 18, 9. Dio Cass. XV, 16. [Ἀδριανὸς δὲ] χρήματά τε πολλὰ καὶ σῆτον ἐτήσιον τῆν τε Κεφαλλήνην ὅλην τοῖς Ἀθηναίοις ἐχαρίσατο.

11) Idem certe omnibus grammaticis et orato-

Atheniensium profuisse et cathedras professorum Athenis instituisse atque fundamenta academiae instaurandae iecisse videtur. Quod pater liberalissimus inchoaverat opus, id filius arrogatus, et pius erga parentem, et artium amore imbutus¹²⁾, M. Antoninus Pius nullis impensis parcens ita continuavit atque perrexit, ut ipse in eadem re viam praeiret filio adoptato M. Aurelio philosopho, qui studia literarum, inprimis philosophiae, quacunque ratione adiuvans nutriensque scholas academicas Atheniensium ad summum tunc exivit fastigium. Iam vero scholae Athenis publice institutae mirum in modum florebant; tunc magna aderat copia virorum insignium¹³⁾ et sophistarum et philosophorum, qui vel eleganter varieque dicendo atque scribendo, vel nova placita investigando de eruditione liberali bene meriti postrema humanitatis antiquae semina excolebant¹⁴⁾; tunc erat maxima frequentia discipulorum, qui undecunque gentium eo confluebant; Athenae, ut ita dicam, aedes scholarum erant totius terrarum orbis¹⁵⁾. Sed ea est fragilitas rerum humanarum, ut quod in summo conspicitur flore, paullo post languescat atque marcescat. Quae sors tristissima ut Atheniensium quoque scholis academicis eveniret, complures effecerunt causae. Constat enim Athenas non modo a Septimio Severo¹⁶⁾ aliisque imperatoribus posthaberi coeptas, sed etiam seculo medio tertio a barbaris Gothorum sive Scytharum catervis, quae ex Ponto Euxino advehebantur, expugnatas et vastatas fuisse¹⁷⁾; multo magis tamen quam illud detrimentum externum noxiae erant discordiae inimicitiaeque internae sophistarum, qui invicem manum sibi

ribus et philosophis ne hospitem publice recipent, in univrsam indulsit; cf. Digest. I, 4, 18, 30.

12) Trebell. Pollio Gallien. 11.

13) Herodian. I, 2, 7. Πολύ τε τὸ πλῆθος ἀνδρῶν σοφῶν ἤγεγενε ἢ τῶν ἐκείνου [Μάρκου] καιρῶν Φορά.

14) Bernhardt Grundr. d. gr. Lit. T. I p. 406.

15) Hinc dixit Dio Cass. LXXI, 31. [Μάρκος] ἔδωκε καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλους ἐν ταῖς Ἀθήναις ἐπὶ πάσης λόγων παιδείας, μισθὸν ἐτήσιον φέροντας. Munus autem apud Athenienses docendi in summo fuisse honore ait Liban. de fort. sua T. I p. 19 R. Ἐδόκει μέγιστον εἶναι θρόνον ἄξιον τῶν παρὰ Ἀθηναίοις κερῖσθαι.

16) Ael. Spartian. Sever. 2. *Inimicus [Atheniensibus] factus minuendo eorum privilegia iam imperator se ultus est.* Neque multum profuit quod

Gallienus imperator (260 p. Ch. n.), ut Treb. Pollio 11 refert, *apud Athenas archon erat — vanitate illa, qua et civis adscribi desiderabat et sacris omnibus interesse.*

17) Zosim. I, 39. Τῶν δὲ Σκυθῶν τὴν Ἑλλάδα κάκιστα διαφέντων καὶ τὰς Ἀθήνας αὐτὰς ἐμπολιορκησάντων; cf. et Claudian. in Rufin. II, 191. *Si tunc his animis acies collata fuisset, — nec fera Cecropias traxissent vincula matres,* quibuscum cf. Treb. Pollio. Gallien. 6. 13. Idem Zosimus narrat V, 6 Alarichum quarto seculo exeunte, quum ad urbem universis cum copiis accederet, pacem quidem civibus obtulisse neque Athenas et Atticam vastasse; sed Synesius Ep. 135 p. 272, qui eodem vixit tempore, αἱ δὲ Ἀθηναί, inquit, πάλαι μὲν ἢ πόλις ἐστὶ σοφῶν, τὸ δὲ νῦν ἔχοντες σεμνύουσιν αὐτὰς οἱ μελιττουργοί.

inferebant; noxii erant conatus philosophorum varia Pythagorae, Platonis, Aristotelis placita in unum conflare doctrinamque quam dicunt syncreticam sive commixtam componere studentium. Accedit paullatim ingruens iniqua illa temporum calamitas, quae omnino literas artesque liberales despiciatui habere coepit; denique, id quod maxime erat damnosum, exortum est bellum illud atrocissimum inter cultum animi mentisque veterem et novum, inter humanitatem gentilem atque religionem christianam. Ex quo enim Constantinus Magnus lucem, quae recens affulserat, publice fovit coluitque; ex quo scholae christianae non solum in urbe regia, sed etiam aliis in oppidis imperii Romani instituebantur; ex quo tota iuventutis excolendae ratio immutabatur; ex quo denique studium philosophiae propter placita eius arcana atque theurgica legibus coercebatur, et doctrina christiana ab imperatoribus sustentata pluris aestimabatur, ita ut artes literaeque ingenuae doctrinae asceticae praeceptisque monachorum succumberent, fieri non potuit, quin scholae Athenienses minus frequentatae paullatim negligerentur atque a iuventute postponderentur. Iulianus quidem, qui adolescens (anno CCCLIV) Athenis philosophiae aliisque artibus operam dederat¹⁸⁾, imperator scholas sophistarum ibi quacunque ratione adiuvit¹⁹⁾ restituitque pristinum splendorem, ita ut multi et insignes tunc prodirent viri, Proaeresius, Iulianus Cappadox, Himerius, alii, sed per breve tempus. Etenim post obitum Iuliani (CCCLXIII) studia literarum, quae iam inde a Constantino Magno Athenis deflorescere coeperant²⁰⁾, magis magisque ita sunt lapsa, ut sub Theodosio primo eiusque filio Arcadio prorsus extinguerentur.

Sed transeamus ad academiam Atheniensium describendam ita ut prius *de externa eius forma* atque conditione, postea de interno eiusdem statu disseramus. Non constituta repente ex summo Imperatoris arbitrio iussuque, ut aliae scholae, sed privatim ex se ipsa orta pro fundamentis habuit, quae antiquitus posita usque dum durabant, eloquentiam sophisticam atque politicam et philosophiam, quae iam ante Christum natum Athenis una docebantur, quamquam sane eloquentia politica temporibus tunc inserviens non multum colebatur. Sed quum imperatores, inde ab Hadriano, compluria in scholis Atheniensium instituerent, quibus prior earum status

18) Zosim. III, 2.

19) Himer. Orat. 4 et 5. Quanti fecerit Iulianus Athenas eiusque humanitatis fontes, apparet ex orat. eius ad Eusebiam p. 119 Spanh.

20) Memertin. in grat. act. Iul. 9, 3. *Ipsae illae bonarum artium magistrae et inventrices Athenae omnem cultum publice privatimque perdiderant.*

vel mutaretur vel confirmaretur; quum magistri ex legibus publicis muneri praeficerentur²¹⁾, academia Atheniensis ex privata²²⁾ est facta publica, ita tamen ut in scholis totius imperii secundum obtineret locum; nam ὁ ἄνω θρόνος superior artis sophisticae cathedra, ad quam singuli magistri ex Athenis evehebantur, erat Romae²³⁾.

Omnia vero, quae in scholis ibi constitutis docebantur, eo spectabant, ut adolescentes cuiusque et loci et ordinis, ad humanitatem universam adspirantes, cum in aliis rebus, tum in philosophicis²⁴⁾ et rhetoricis erudirentur, vel animos literis artibusque delectarent, raro ut ad munera reipublicae capessenda informarentur²⁵⁾. Quare discrimine illo, quod prius inter cives Athenienses et peregrinos in scholis frequentandis erat, sublato non modo ex Graecia et Italia sed undecunque adolescentes *ad capiendum ingenii cultum Athenas concesserunt*²⁶⁾. Cuique homini ingenuo permissum erat scholas adire Atticas operamque dare studiis vel rhetoricae vel philosophiae.

Summum academiae praesidium erat penes Imperatorem, cuius gratia et tutela fruebantur magistri, quorum singulos non modo muneribus praeponerat²⁷⁾, sed etiam doctrinam moresque interdum examinabat vel a munere removebat. Ita Marcus Antoninus, quum Severus quidam vir consularis (nam tunc quoque insidiatores et sycophantae magistrorum erant) Adrianum sophistam argumenta sua debacchari clam indicasset, ipse ut rem perscrutaretur²⁸⁾ Athenas profectus scholas sophistae adiit, Adrianum declamantem audivit, rem aliter se habere

21) Eunap. Proaeres. p. 79 Boiss. Ἔδει γὰρ πολλοὺς εἶναι κατὰ τὸν νόμον τὸν ἑωμαϊκὸν Ἰσθμῶσι.

22) Quod enim, teste Diog. Laert. V, 38, Sophocles Amphiclidæ filius anno CCCXVI a. Chr. n. legem tulit, ne quis philosophorum nisi ex decreto Senatus et plebis scholae praeesset, id sane publice est factum, sed insequente anno abrogatum; neque postea ad Hadrianum usque respublica scholarum academicarum curam gessit; cf. Clinton. Fast. Hellen. ad Ol. CXVI, 1.

23) Philostr. Soph. II, 10, 5. Ael. Hadrianus enim, postquam anno CXXXIII Athenis Romam reversus est, *ibi* (Aurel. Vict. Caes. 14) *gymnasia doctoresque curare occoepit adeo quidem, ut*

etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenaeum vocant, restitueret. Cuius exemplum secutus Theodosius II quoque anno CCCXXV scholas academicas Constantinopoli instituit; cf. Cod. Theodos. XIV, 9, 3 et Ch. F. Bähr: de literar. universit. Constantinop. V. sec. condita. Neutra tamen schola Atheniensi offecit.

24) Id imprimis Marco Antonino philosopho in mente fuisse videtur.

25) Cf. Reiske ad Liban. Vol. I p. 45.

26) Gell. N. A. I, 2, 1.

27) Philostr. II, 2, 2 et Liban. de fort. sua T. I p. 14 Mor.

28) Philostr. S. II, 10, 4.

cognovit eumque magnifice donavit; ita Commodus Pollucem, voce eius melliflua captus, professioni sophisticae praefecit²⁹⁾; Iulianus autem anno CCCLXI Proaeresium, qui doctrinae christianae addictus erat, munere docendi privavit³⁰⁾.

Sed quoniam Imperator nimis remotam ab Athenis sedem Romae habebat neque semper propter administrationem totius civitatis saluti unius academiae literarum prospicere poterat, alium designabat, qui loco ipsius quasi *curator* publice constitutus *academiae curam* gereret, professores eligeret, eorum causas cognosceret³¹⁾, lites inter eos exortas componeret³²⁾, etiam loco eos moveret et urbe expelleret³³⁾, adolescentium autem mores vitamque inspiceret³⁴⁾ eorumque turbas³⁵⁾ cohiberet, quamquam haec omnia non semper fecisse videtur, neque fortasse perficere poterat. Primo tempore unus Herodes Atticus ex singulari M. Antonini benevolentia rebus academicis praeerat, vir consularis idemque sophista, qui professores inprimis philosophiae regebat et successores substitueret. Postea vero curatoris academici munus proconsuli sive praetori Aethiopiae semper tradebatur, qui vel Corinthi³⁶⁾, ubi plerumque habitabat, vel Athenis, quas interdum visebat, res academicas suo arbitratu administrabat. Is professores arcessebat³⁷⁾, ad declamandum provocabat, quaestiones (*προβλήματα*) iis proponebat³⁸⁾, de certamine eorum decernebat³⁹⁾, declamatione iis interdicebat⁴⁰⁾, munus abrogabat⁴¹⁾, omnino

29) Philostr. S. II, 12, 2.

30) Eunap. Proaeres. p. 92 Boiss.

31) Eunap. Iulian. p. 69. Ἀνεφάρετο δὲ ἐπὶ τὸν ἀνθύπατον ἢ δίκην.

32) Eunap. in Proaeres. p. 81 eiusmodi litem narrat, quam aemuli Proaeresio commoverant.

33) Liban. de fort. sua T. I p. 19 R. et Eunap. l. l.

34) Liban. de fort. sua T. I p. 19 R. Οἰόμενος δεῖν μηδὲν ἀμαρτάνεσθαι ὑπὸ τῆς ἐκεῖ νεότητος. Romae summam gerebat curam praefectus urbis, cui officium censuale ex constitutione Valentiniani, anno CCCLXX data (cf. Cod. Theodos. XIV, 9, 3), breves sive indices eorum literarum studiosorum per singulos menses tradebat, qui vel unde veniant, quive sint pro ratione temporis remittendi. Idem praefectus eos, qui in urbe inhoneste se gessissent, publice verberibus afficere et urbe pellere poterat. Constantinopoli quoque summa rerum academicarum cura ex lege Iustiniani (cf. Dig. Prooem. 10) erat

penes Praefectum Urbis, sed Beryti penes praesidem Phoeniciae maritimae et penes episcopum legumque professores.

35) Quales fuerunt inter discipulos Iuliani Cappadocis et Apsinis Lacedaemonii relatae ab Eunapio in vita Iuliani p. 69; cf. et Liban. de fort. sua T. I p. 16 R. Δραμεῖν δὲ ὑπὲρ τῆς ἀρπαγῆς [νέων] αὐτοῖς εἰς Κόρινθον κριθῆσόμενον.

36) V. c. Symmachus; cf. Cod. Theodos. II, 4, 1.

37) Liban. de fort. sua T. I p. 10 Mor.

38) Himer. Or. 4. Eunap. Proaeres. p. 81.

39) Himer. Or. XIII.

40) Himer. Or. XIII, 2, 3.

41) Liban. de fort. sua p. 19 R. narrat tres simul professores propter turbas ab iis eorumque discipulis commotas professione remotos fuisse. Ἦν τις ἀρχῶν ἀνὴρ ἐξ Ἰταλίας οἰόμενος δεῖν μηδὲν ἀμαρτάνεσθαι ὑπὸ τῆς ἐκεῖ

curare debebat, ut status academiae bene se haberet, literae artesque flourerent⁴²⁾, omnes academici otio et pace fruerentur. Quapropter illi a sophistis cum in munere auspicando salutabantur et laudibus celebrabantur⁴³⁾, tum in conventu Graecorum praesides auspicesque eloquentiae et Musarum, spectatores iudicesque certaminum, reges⁴⁴⁾ artis sophisticae appellabantur. Ita unum ex iis Hermogenem quendam Proconsulem Himerius sophista verbis laudat magnificis⁴⁵⁾ humanissimum, miti admonitione, non gladio terribili omnia regentem, pro salute omnium laborantem atque vigilantem, artes liberales earumque magistros liberaliter sustentantem.

Ceterum academia Atheniensis non erat, qualem nos dicimus universitatem literarum sive studiorum, sed schola ex singulis constans et sophistis et philosophis, qui neque communi ordinis vinculo neque collegii sodalitate inter se coniuncti sibi suam quisque habebant sedem et sibi soli profitebantur artem. *Munera professorum* graece nominabantur *θρόνοι* cathedrae⁴⁶⁾ ex eo, quod professores docentes in sella altiore sedebant. Primus⁴⁷⁾ publicas professiones⁴⁸⁾ et artis sophisticae et philosophiae iniuncto docendi officio Antoninus Pius dicitur Athenis instituisse⁴⁹⁾, ita ut cathedrae sophisticae primus praesset L. Egnatius Lollianus⁵⁰⁾; sed quot sophistas⁵¹⁾

νεότητος· ἐν δὴ μανίᾳ τῶν νέων παύει μὲν τοὺς ποιμένας ὡς δὴ κακοὺς ποιμένας, τοὺς δὲ αὐτ' ἐνεύων ἄρξοντας ἀνεζήτει.

42) Himer. Or. XIV.

43) Himer. Or. XIV.

44) Himer. l. l.

45) Himer l. l.

46) Philostr. S. I, 23, 1, vel ὁ Ἀθήνησι θρόνος; cf. ib. II, 12, 4; 13, 1; 19, 1; 30, 1.

47) Nisi forte iam Hadrianus; cf. Spartiani Hadr. 13. *Multa in Athenienses contulit et pro agonotheta recedit*; et ibid. 16. *Omnes professores et honoravit et divites fecit*; v. supra p. 3 et Philostr. S. I, 22, 5 et 23, 5. Quod Vespasianus, Suetonio teste, (Vespas. 15) dicitur *primus e fisco latinis graecisque rhetoribus annua centena constituisse*, pertinet ad solam Romam (cf. Cresoll. Theatr. IV, 1). Quid vero Hadrianum ceterosque imperatores commoverit, ut sophistas munifice sustentarent, indicat C. O. Müller in dissert. de cura quam respublica apud Graecos etc. literis impen-

48) Singulos Sophistas iam antea Athenis versatos fuisse, sed privatas habuisse scholas constat, ut Scopelianum Philostr. S. I, 21, 13 et Secundum ib. I, 26, 1.

49) Capitolin. Antoninum Pium (c. 11) *rhetoribus et philosophis per omnes provincias et honores et salaria detulisse* narrat.

50) Philostr. S. I, 23, 1 de Lolliano *προϋστη μὲν τοῦ Ἀθήνησι θρόνου πρώτος*.

51) Fortasse quattuor vel quinque; cf. Digest. XXVII, 1, 6, 2. Modestinus lib. II. Excusationum. *Ἔστιν δὲ καὶ ὁ ἀριθμὸς ῥητόρων ἐν ἐκάστη πόλει τῶν τὴν ἀλειτουργησίαν ἐχόντων καὶ αἰρέσεις τινὲς προσκειμέναι τῷ νόμῳ· ὅπερ ὁγλοῦται ἐξ ἐπιστολῆς Ἀντωνίνου τοῦ εὐσεβοῦς, γραφείσης μὲν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας, παντὶ δὲ τῷ κόσμῳ διαφερούσης, ἧς ἐστὶν τὸ κερδάλιον τοῦτο ὑποτεταγμένον· αἱ μὲν ἐλάττους πόλεις δύνανται — ἀτελεῖς ἔχειν — τρεῖς σοφιστὰς καὶ γραμματικούς τοὺς ἴσους· αἱ δὲ μείζους πόλεις — τέσσαρας τοὺς παιδεύοντας*

et philosophos⁵²) Pius Athenis nominaverit, non constat. M. Aurelius Philosophus autem, ipse literis maxime deditus, patris adoptivi constitutionem exsecutus⁵³)

ἐκατέραν παιδείαν, αἱ δὲ μέγιστα πόλεις — ῥήτορας πέντε καὶ γραμματικούς τοὺς ἴσους· ὑπὲρ δὲ τοῦτον τὸν ἀριθμὸν οὐδὲ ἡ μεγίστη πόλις τὴν ἀτέλειαν παρέχει. Sub Commodio imperatore duo et sub Septimio Severo tres simul sophistae Athenis scholas habuerunt; cf. Philostr. S. II, 14 et 20, 1. Porphyrii aetate (seculo tertio) duo dicuntur fuisse sophistae rhetorices (Eunap. Vit. Porphyr. p. 11 τῶν ῥητορικῶν οἱ ἐπ' Ἀθήνησι προεστῶτες Παῦλος τε καὶ Ἀνδρόμαχος) et Constantini Magni tempore Athenis erant tres sophistae, Epiphanius, Proaeresius, Diophantus; cf. Eunap. Liban. p. 96. et Proaeres. p. 79. Numerum eorum neque pro certo constitutum, neque semper eundem fuisse arbitror. Zumptius in Vorlesungen über den Stand etc. p. 48 (24) contendit duas fuisse *sophisticae artis professiones*, alteram regiam (βασιλικὴν) cum salario decies mille drachmarum, alteram urbanam (πολιτικὴν) cum mercede sexies mille drachmarum sive talento et attulit Philostr. Vit. S. II, 20, 1. C. O. Müller autem in dissert. *quam curam respublica impenderit* etc. p. 16 τὸν πολιτικὸν ῥόνον καὶ τὸν σοφιστικὸν ita distinguit, ut illam forensis eloquentiae cathedram fuisse, cuius professores argumenta ex civili vita sumsissent, huius vero praesides res e literarum disciplinis repetiisse et sublimiore quodam spiritu pertractasse recte dicat. Cathedra Atheniensis ubique dicitur ὁ Ἀθήνησι ῥόνος (Philostr. S. I, 23, 1 et II, 10, 1. 12, 2. 19, 1. 26, 2) vel ὁ τῶν σοφιστῶν ῥόνος (Philostr. S. II, 10, 4) neque unquam τῷ βασιλικῷ ῥόνω sed τῷ ἄνω ῥόνω sive τῷ κατὰ τὴν Ἔωμην (Philostr. S. II, 8, 2 et 10, 5) opponitur. Quemadmodum vero ὁ παιδευτικὸς ῥόνος dicitur (Eunap. Parnas. p. 95), ita et πολιτικός; et distinguuntur τὸ σοφιστικὸν et τὸ δικανικὸν (Philostr. S. I, 19, 1. II, 4, 2) sive τὸ πολιτικὸν (Philostr. S. I, 19, 1), cuius partes auctore Hermogene (de ideis II, 10 p. 370 Walz) ὁ μὲν [λόγος] ἐστὶ συμβουλευτικός, ὁ δὲ δικανικός, ὁ δὲ πανηγυρικός. Accedit quod ὁ λόγος πολιτικός oratio causas civiles tractans (Philostr. II,

19, 1) in tanta tunc erat consuetudine atque auctoritate, ut et professores invenirentur, qui eam artem et docerent (Hermog. de ideis II, 10) et exercebant. Cuius artis professores nominantur *Apollonius Naucraticus*, qui λόγου ἐπεμελήθη πολιτικοῦ (Philostr. II, 19, 1), et *Theodotus*, qui propterea Marc. Antonino ἀγωνιστῆς τῶν πολιτικῶν λόγων καὶ ῥητορικῆς ὄφελος (Philostr. S. II, 2, 2) dicebatur, τὴν ἰδέαν τῶν λόγων (quod attinet) ἀποχρῶν τοῖς δικανικοῖς καὶ τοῖς ὑπερσοφιστευουσιν, et *Apollonius Atheniensis*, qui in utroque dicendi genere versatus, ἱκανὸς τὰ δικανικὰ καὶ τὰ ἀμφὶ μελέτην οὐ μεμπτὸς non modo τοῦ πολιτικοῦ ῥόνου προεστῶς erat (Philostr. S. II, 20, 1), sed etiam (quae verba Philostratus statim post priora addidit) διαπρεπῆς τὰ πολιτικὰ γενόμενος ἐν τε πρεσβείαις ὑπὲρ τῶν μεγίστων ἐπρέσβευσεν, ἐν τε λειτουργίαις. Deinde λέξις πολιτικὴ est oratio civilis, simplex, moderata, σοφιστικὴ autem ornata, elegans, pulchri amans; (cf. Upton. ad Dionys. H. de comp. 1) et quum Pollux ipse sophista (IV, 1, 17) distinguat σοφιστὴν εἶναι et πολιτικὸν εἶναι sive rerum civilium peritum esse, fieri non potest, ut ὁ πολιτικὸς ῥόνος de professione urbana dicatur. Quare Cresoll. in Theatr. IV, 3 (cf. et I, 3) recte hoc statuit: *In politico auditorio id docebatur genus facundiae, quod foro civilibusque causis fuit accommodatum, in quo vis potius atque robor dictionis et τὸ ἀγωνιστικόν, quam ornatus et luminosae orationis splendor et concinnitudo spectabatur.* Idem discrimen statuit et C. L. Kayser in Lolliano p. 10 et Westermann Gesch. d. gr. Bered. p. 199; Bernhardy contra Gr. Lit. I p. 412 sq. ῥόνον πολιτικόν, Φιλόσοφον, σοφιστικόν male distingui contendit. 52) Cf. Digest. XXVII, 1, 6, 7. Modestinus lib. II Excusat. περὶ δὲ τῶν Φιλοσόφων ἢ αὐτῇ διάταξις τοῦ Πίου [Αυτωνίου] οὕτως λέγει· Φιλοσόφων δ' οὐκ ἐτάχθη ἀρισμὸς διὰ τὸ σπανίους εἶναι τοὺς Φιλοσοφούντας. 53) Ahrens de stat. Athen. p. 69, quocum facit et Westermann Gesch. d. gr. Bered. p. 200, 3.

academiae fundatae aedem exstruxit, philosophorum numerum adauxit, ita ut bini⁵⁴⁾ cuiusque sectae primariae essent, singulis cathedris stipendia sua attribuit, auctoritatem professorum amplificavit, omnino summus Atheniensis scholae patronus exstitit. Praeterea multi erant Athenis et sophistae et philosophi, qui privatim docerent⁵⁵⁾, quum tanta multitudo adolescentium undique conflueret, ut publici magistri non sufficerent. Certus autem numerus professorum, ut aliis in urbibus⁵⁶⁾, Athenis nunquam constitutus fuisse videtur.

Neque deerant *publice instituta*, quibus iuvenes in literis artibusque discendis adiuventur, *bibliotheca* in templo Iovis Panhellenii⁵⁷⁾ et *gymnasium Adriani* columnis centum ornatum⁵⁸⁾.

Qui publico munereungebantur vel in *publicis locis*⁵⁹⁾ ut olim, in gymnasiis⁶⁰⁾ et museis docuisse videntur, vel dies sollemnes in theatro Agrippae⁶¹⁾ et in curia artificum prope Ceramicum⁶²⁾ celebrabant, vel si quid a factionibus academicis earumque cavillationibus⁶³⁾ erat metuendum, adolescentes in theatris,

54) Binos certe Peripateticos fuisse apparet ex Lucian. Eunuch. 3, ubi alter dicitur mortuus esse, et binos Stoicos e Longin. Fragm. 5, 4. Unum successorem ab ipsa schola cooptatum, alterum a magistratu Atheniensi creatum fuisse sibi persuasit Zumpt: Ueber den Bestand etc. p. 51; sed testimonia rei non attulit.

55) Ita Chrestus Byzantinus (Philostr. S. II, 11, 1) et Proclus Philostrati praeceptor (II, 21, 3).

56) Theodosius et Valentinianus Imp. ex lege anni CCCXXV constituerunt, ut auditoria et Romae et Constantinopoli haberent ternos oratores et denos grammaticos latinos, quinos sophistas et denos grammaticos graecos, singulos philosophos et binos iuris ac legum doctores; cf. Cod. Theodos. XIV, 9, 1, quae constitutio recepta est a Iustiniano in Cod. XI, 18, 2.

57) Pausan. I, 18, 9 et Hieronym. Chron. Ol. 227. Aristid. ap. Photium p. 408, a. 29. Πρὸς δὲ τούτοις [ταῖς νεῶς] βιβλίον ταμεία, οἷα οὐχ ἑτέρωθεν γῆς Φανεραῶς, καὶ μάλᾳ τῶν Ἀθηναίων κόσμος οἰκείος.

58) Pausan. I. I. γυμνάσιόν ἐστιν ἐπάνυμον Ἀδριανοῦ et Dio Cass. LXIX, 4; cf. Krausii Gymnast. p. 124 nr. 8. Alterum erat Pausaniae aetate in Academia extra urbem; cf. Pausan. I, 29, 2.

59) Cuiusmodi loca et publica et privata dicuntur διδασκαλεῖα, σχολαί, σχολεῖα, διατριβαί. Recenset ea Plutarch. de exil. 14, quae plerumque philosophorum erant: Ἀναπέμπασαι [τὰς σχολὰς καὶ διατριβάς] τὰς ἐν Λυκείῳ, τὰς ἐν Ἀναδημίᾳ, τὴν Στοάν, τὸ Παλλάδιον, τὸ Ὠδεῖον. Cf. Cresoll. Theat. III, 12 et IV, 4. Sic et praefectus urbis Constantinopolitanae anno CCCXXV loca publica ex constitutione Theodosii II unicuique professori assignavit (Cod. Theod. XIV, 9, 3, 1) exedrasque in auditoria deportari iussit; cf. ibid. XIV, 1, 53. Athenis Academiam, Lyceum et Stoam, hanc tabulis a Proconsule direptis, deserta et devastata esse, quod factum seculo quarto exeunte p. Ch. n., dicit Synes. Epist. 135 p. 272.

60) Vitruv. V, 11, 2. Constituantur — exedrae spatiosae, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores reliquique qui studiis delectantur sedentes disputare possint; cf. Ch. Petersen das Gymnasium p. 15.

61) Philostr. S. II, 5, 3.

62) Philostr. S. II, 8, 2.

63) Philostr. S. II, 21, 3. Ἦν δὲ αὐτῷ [τῷ Πρόκλῳ] καὶ Σήκη βιβλίον ἐπὶ τῆς οἰκίας. — ὡς δὲ μὴ συρίττοιμεν ἀλλήλους,

quae vocabantur, privatis⁶⁴⁾ instituebant. Quae theatra, vel vilia atque exigua⁶⁵⁾, vel ad modum publicorum marmore laevi interdum exstructa sed minoris ambitus⁶⁶⁾, suggestum (βῆμα⁶⁷⁾) sive sellam altiore (σθρόνον⁶⁸⁾) magistro et subsellia auditoribus, ut apud nos, partim alliora (προεδρίας), partim humiliora (ὑφεδρίας⁶⁹⁾) habebant certo ut videtur ordine, ita ut nonnunquam iuniores cum paedagogis locos medios tenerent⁷⁰⁾.

Praeter publicas *scholas* doctores inprimis philosophi instituebant et *privatas*, in quibus vel libros cum familiaribus legerent disputationesque eorum regerent⁷¹⁾, vel, ut in clepsydrio Herodis Attici, adolescentes in declamando exercerent⁷²⁾ ingeniumque eorum excolerent.

Aditus ad scholas publicas prius sine discrimine *omnibus patebat* non modo discipulis et auditoribus sed etiam iis, qui semel iterumque lectionibus intererant, vel novitiis, qui initia doctrinae degustare cupiebant, vel veteranis, qui iam spectatores et iudices certaminum eruditorum sederant⁷³⁾; postea autem seculo quarto novitii nonnisi de sophistarum sententia admissi et rite initiati pallium induere scholasque sophisticas ingredi debebant⁷⁴⁾.

Veteres philosophos imitati magistri *scholas et matutinas et pomeridianas*⁷⁵⁾

μηδὲ σκώποιομεν, ἀ ἐν ταῖς τῶν σοφιστῶν συνουσίαις φιλεῖ γίγνεσθαι, ἀθρόοι ἐσεκαλούμεθα. Eunap. Iulian. p. 69. Τοσαύτη γὰρ ἦν Ἀθήνησιν ἡ στάσις τῶν ἀνθρώπων καὶ νέων, — ὥστε οὐδεὶς ἐτόλμα τῶν σοφιστῶν δημοσίᾳ καταβάς διαλέγεσθαι, ἀλλ' ἐν τοῖς ἰδιωτικαῖς θεάτροις ἀπολαβόντες τὰς φωνὰς αὐτῶν μεριανίσις διελέγοντο.

64) Romae autem et Constantinopoli ne quis professor *intra Capitolii auditorium constitutus* — *privatarum aedium studia* regeret ibique doceret, ab imperatoribus Theodosio et Valentiniano anno CCCXXVII interdictum fuit; cf. Cod. Theodos. XIV, 9, 3.

65) Himer. Orat. XVIII.

66) Eunap. Iulian. p. 69.

67) Eunap. Proaeres. p. 79 et Cresoll. Theatr. III, 13.

68) Philostr. S. I, 21, 5.

69) Gregor. Nazianz. Or. 3, 94 (106) p. 101.

70) Philostr. S. II, 21, 3.

71) Gell. N. A. XVII, 20, 1. *Symposium Platonis apud philosophum Taurum legebatur*, de quo postea disputabatur.

72) Philostr. S. II, 10, 1.

73) Himer. Orat. XII.

74) Olympiodorus apud Phot. Bibl. 80 p. 60, b. Οὐκ ἐξῆν κατὰ τὰς Ἀθήνας περιβαλέσθαι αὐτὸν (τὸν τρίβωνα), καὶ μάλιστα ξένον, ὃ μὴ τῶν σοφιστῶν ἢ γνώμη ἐπέτρπε καὶ αἱ κατὰ τοὺς σοφιστικοὺς νόμους τελεταὶ ἐβεβαίουν τὸ ἀξίωμα.

75) Ammonius certe, Plutarchi magister, et mane et post meridiem habebat *scholas*; cf. Plut. de adul. et amici discrim. 45 et Cresoll. Theatr. IV, 4. Ceterum iam antiquitus diei tempus, quo scholae haberentur, apud Athenienses lege in universum erat constitutum; cf. Aeschin. c. Timarch. 8 (12, 37). Οἱ δὲ τῶν παιδῶν διδάσκαλοι ἀνοιγέτωσαν μὲν τὰ διδασκαλεῖα μὴ πρότερον ἡλίου ἀνιόντος, κλειέτωσαν δὲ πρὸ ἡλίου δύνοντος.

habuisse videntur, sed quot horas⁷⁶⁾ et quibusnam diebus et quam diu docuerint, non constat. Quotiescunque scholae propter morbum professoris vel alia de causa necopina haberi non poterant, id per tabellam, quae πρόγραμμα dicebatur⁷⁷⁾, foribus theatri sive auditorii affixam indicabatur⁷⁸⁾. Nonnullis quoque diebus, inprimis festis, lectiones usitatae cessabant praeter ferias⁷⁹⁾, quas more solito media aestate intercessisse Libanius⁸⁰⁾ ostendit.

Cuiusmodi *dies festi* (τελεται), qui ad scholas academicas pertinebant, a scriptoribus commemorantur complures. Primum erat, quae in solis quantum sciam sophistarum discipulis initiandis fieri solebat, *exploratio* quaedam *novitiorum*, non ut apud nos a magistris sed a sodalibus veteranis instituta⁸¹⁾. Sodales, qui

76) Pollux (Onomast. VIII Praef.) ὁσημέραι δύο λόγους, Proclus autem quinque et plures habuit; cf. Marin. in vita eius 22. Ἐξηγήειτο τῆς αὐτῆς ἡμέρας πέντε, ὅτε δὲ καὶ πλείους πράξεις. Eunapius, sed Sardibus, apud Chrysanthium (cf. vit. p. 114) τὰ ἑωσινὰ μὲν — ἐπὶ ῥητορικοῖς λόγοις ἑτέροις συνῆν καὶ τοὺς δεομένους ἐπαίδευσεν· μικρὸν δὲ ὑπὲρ μεσημβρίας ἐπαίδεύετο παρὰ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἰὸν διδάσκαλον.

77) Lucian. Hermotim. 11.

78) Lucian l. l. Πινάκιον γὰρ τι ἐκρέματο ὑπὲρ τοῦ πυλῶνος μεγάλοις γράμμασι λέγων τήμερον οὐ συμφιλοσοφεῖν.

79) Himer. Orat. XIV, 7.

80) Cf. eius epist. 1036, a et 1235.

81) Describit hunc initiandi morem Gregor. Nazianz. Or. 20 (al. 43), 16 p. 327. Ἐπειδὴ οὖν τις ἐπιστῆ τῶν νέων καὶ ἐν χειρὶ γένηται τῶν ἐλόντων, γίνεται δὲ ἢ βιασθεῖς ἢ ἐκίων, νόμος οὗτός ἐστιν αὐτοῖς Ἀττικὸς καὶ παιδιὰ σπουδῆ σύμμικτος. Πρῶτον μὲν ξεναγεῖται παρὰ τινι τῶν προεληφότων ἢ φίλων ἢ συγγενῶν ἢ τῶν ἐν τῆς αὐτῆς πατρίδος ἢ τῶν ὅσοι περιττοὶ τὰ σοφιστικὰ καὶ προσαγωγοὶ τῶν λημμάτων, κἀντεῦθεν μάλιστα διὰ τιμῆς ἐκείνοις, ἐπεὶ καὶ τοῦτο μισθός ἐστιν αὐτοῖς τῶν σπουδαστῶν τυγχάνειν. Ἐπειτα ἐρεσχελεῖται παρὰ τοῦ βουλομένου παντός· βούλεται δὲ αὐτοῖς οἶμαι τοῦτο τῶν νεηλίδων συστέλλειν τὸ φρόνημα καὶ ὑπὸ χεῖρα σφῶν ἀπ' ἀρχῆς

ἄγειν· ἐρεσχελεῖται δὲ παρὰ μὲν τῶν θρασύτερον, παρὰ δὲ τῶν λογικώτερον, ὅπως ἂν ἀγροικίας ἢ ἀστείότητος ἔχη· καὶ τὸ πρᾶγμα τοῖς μὲν ἀγροοῦσι λίαν φοβερὸν καὶ ἀνήμερον, τοῖς δὲ προειδόσι καὶ μάλα ἠδὺ καὶ Φιλάνθρωπον· πλείων γὰρ ἐστὶν ἢ ἔνδειξις ἢ τὸ ἔργον τῶν ἀπειλουμένων. Ἐπειτα πομπεῦει διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐπὶ τὸ λουτρὸν προαγόμενος· ἢ πομπῇ δὲ διατάξαντες ἑαυτοὺς στοιχηδὸν κατὰ συζυγίαν ἐν διαστήματος οἱ τελοῦντες τῶ νέω τὴν πρόδοον ἐπὶ τὸ λουτρὸν προπέμπουσιν· ἐπειδὴν δὲ πλησιάσῃ βοῇ τε πολλῇ καὶ ἐξάλμασι χρώμενοι, καθάπερ ἐνθουσιῶντες· κελεῦει δὲ ἢ βοῇ μὴ προβαίνειν, ἀλλ' ἴστασθαι ὡς τοῦ λουτροῦ σφᾶς οὐ παραδεχομένου· καὶ ἅμα τῶν θυρῶν ἀρασσομένων πατάγω τὸν νέον φοβήσαντες, εἶτα τὴν εἴσοδον συγχωρήσαντες, οὕτως ἤδη τὴν ἐλευθερίαν διδάσκειν, ὁμότιμον ἐκ τοῦ λουτροῦ καὶ ὡς αὐτῶν ἕνα δεχόμενοι. Καὶ τοῦτό ἐστιν αὐτοῖς τῆς τελετῆς τὸ τερπνότατον ἢ ταχίστη τῶν λυπούντων ἀπαλλαγὴ καὶ κατάλυσις. Eundem initiandi morem ex eodem fere tempore, ubi Leontius quidam professioni sophisticae Athenis praecerat, Olympiodorus apud Photium Bibl. 80 p. 60, b. Bekk. his refert verbis: Ἦν δὲ τὰ τελούμενα τοιαῦτα. Πρῶτον μὲν κατήγοντο ἐπὶ τὸ δημόσιον βαλανεῖον ὅσοι νεηλίδες, ἂν τε μικροί, ἂν τε μεγάλοι· ἐξ ὧν καὶ οἱ πρὸς τὸν τρίβωνα ἐπιτηδεῖοι,

adventitios aucupati erant, primum cavillatione salibusque⁸²⁾ tirones excipiebant; deinde maiores, bini ordine praeerentes, novitios per forum ad balneum prosequabantur et ubi propius accesserunt saltabant atque cohibentes clamabant: *sta, sta, balneum te non admittit*; tum iidem praesules pulsabant fores balnei strepitumque terroris incutiendi causa concitabant. Postea tirones ad balneum admissi aqua calida quasi expiandi causa semel lavabantur, pallium insigne (τρίβωνα⁸³⁾ sumebant, nomen *scholasticorum* adipisciebantur tandemque pompa sollemni laetoque clamore ad magistrum deducebantur. Is vero, quod saepius ab Himerio factum esse videmus⁸⁴⁾, novitios initiatos vel cunctos, vel singulos honoris causa⁸⁵⁾ in conventu discipulorum προροήσει sive oratione inaugurali⁸⁶⁾ salutare solebat, eos humanitati

ἡλικίας ἤδη καιροῦ γεγονότες, οὓς εἰς μέσον ἔβαλλον οἱ κατάγοντες σχολαστικοί· εἶτα τῶν μὲν ἔμπροσθεν τρεχόντων καὶ κωλυόντων, τῶν δὲ ὠθούντων καὶ ἐπεχόντων, πάντων δὲ τῶν κωλυόντων ταῦτα βιώντων· στα, στα, οὐ λούει, κατακρατεῖν δῆθεν τοῦ ἀγῶνος ἐδόκουν οἱ ἀντιθούοντες εἰς τιμὴν τοῦ καταγομένου σχολαστικοῦ, ὅστις μετὰ πολλὴν ὥραν, στάσεως πολλῆς ἐπὶ τοῖς προαχθεῖσιν ἐθίμοις ῥήμασι προγενομένης, εἰσάγεται εἰς τὸν φερμὸν οἶκον καὶ ἀπολούεται· εἶτα ἐνδυσάμενος ἐδέχεται τὴν τοῦ τρίβωνος ἐξουσίαν καὶ αὐτόθεν μετὰ τοῦ τρίβωνος ἐκ τοῦ βαλανείου ἐντίμω καὶ περιδόξω δορυφορούμενος πομπῇ ἀπῆει, δαπάνας ἐπιγνοὺς Φανεράς εἰς τοὺς τῶν διατριβῶν προστάτας τοὺς λεγομένους Ἀκρωμίτας. Cf. ea de re Birg. Thoralac. Opusc. Acad. Vol. I p. 216 sqq. et Eichstädt Praef. Ind. lectt. Ienens. hiem. 1826. Quando vero is mos institutus fuerit, non constat. Schwarz Gesch. d. Erzieh. T. I p. 490 opinatur eum cum mysteriis quodammodo cohaesisse; sed ad iuris quoque studiosos postea translatus fuisse et usque ad Iustinianum obtinuisse videtur, qui (Digest. Prooem. 9) cum *summa interminatione edixit, ut nemo audeat Constantinopoli vel Beryti ex his, qui legitima peragunt studia, indignos et pessimos, immo magis serviles et quorum effectus iniuria est ludos exercere — et alia crimina — in socios suos et maxime in eos, qui rudes ad recitationem legum perveniunt,*

perpetrare. Etiam seculo septimo iuris studiosos in theatra cum pompa deductos et praeter morem vestibus indutos et cylistras quas dicunt peractas fuisse docet Canon LXXI concilii Trullani, qui ita habet: Τοὺς διδασκομένους τοὺς πολιτικούς νόμους μὴ δεῖν τοῖς ἐλληνικοῖς ἔθεισι κεχρηῆσθαι, μήτε μὴν ἐπὶ θεάτρων ἀναγεσθαι ἢ τὰς λεγομένας κυλίστρας ἐπιτελεῖν ἢ παρὰ τὴν κοινὴν χρῆσιν στολὰς ἑαυτοῖς περιτιθέναι. Balsamon l. I. κυλίστρας ita explicat: Κυλίστραι δὲ ἐγένοντο, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μετὰ τῶν διδασκόντων· τοῦ μὲν γὰρ ἰδιουμένου τόνδε τὸν μαθητὴν, τοῦ δὲ ἐτέρωθεν ἀντιπίπτοντος αἱ κυλίστραι ἐπενοήθησαν καὶ τὸ ἐκ τῆς τύχης ἀποτελεσμα, ὡς γίνεται σήμερον ἐν ταῖς ἰπποδρομίαις χάριν τῶν καγγέλων. Ceterum eiusmodi *lustratio* academica sive *depositio*, in qua ludibrium cum irrisione erat coniunctum, olim in omnibus Germaniae academiis celebrabatur.

82) Eunap. Proaeres. p. 75. Ἡ δὲ νεότης ἐς αὐτοὺς ἀπεδείκνυτο καὶ χλευασίαν καὶ γέλωτα.

83) Cresoll. Theatr. III, 16. Hanc vestem τὴν Ἀθηναίων ἐσθῆτα Liban. Orat. XLIV significare videtur.

84) Orat. 5. 15. 29. 32. 34.

85) Ita Himer. Or. XXXII salutavit *Phoebum* Alexandri proconsulis filium, qui ex humiliore schola ad altiora studia discesserat.

86) Orat. XII, 4; XV; XXII, 8; XXVIII; Ecl. XV; XVIII.

virtutibusque veteranorum commendabat⁸⁷⁾ ipsosque adhortabatur, ut moribus bonis imbuti perfectiores ad studia evaderent, bene informati Athenis essent decori, honestissimi in patriam redirent⁸⁸⁾. Praeter hanc novitiorum receptionem, cui omnes irones erant obnoxii⁸⁹⁾ et quae certo plerumque tempore⁸⁰⁾ instituta fuisse videtur, *alii dies festi* celebrabantur, quando proconsul munus inibat Athenasque visebat⁹¹⁾, quando idem aliusve magistratus inter sophistas, qui Athenis docebant, certamina de quaestione proposita instituebat⁹²⁾, vel peregrini sophistae insignes, ad certamen provocantes, in corona sollemni verba ex tempore faciebant, ut Alexander ille Peloplaton Seleucia oriundus⁹³⁾ in theatro Agrippensi, vel ubi auditorium novum oratione auspicabantur⁹⁴⁾.

Magistros quod attinet *academicos* antiquitus qui praeerant scholis, in primis philosophicis, quasi per hereditatem ex numero discipulorum succedebant; respublica Atheniensis ad eos eligendos nullam adhibebat auctoritatem; sed postquam munera professorum ab imperatoribus romanis publice sunt constituta, *successio magistrorum* legibus certis erat circumscripta, ita tamen ut res paulatim immutata sibi non semper constaret. In universum summa doctores eligendi potestas erat penes Imperatorem, quam mox ipse exercebat⁹⁵⁾, mox singulis viris insignibus, mox optimatibus totive Atheniensium populo committebat. Professores artis sophisticae et rhetoricae Imperator ipse designabat⁹⁶⁾, philosophorum autem creatio plerumque collegio ea de re constituto⁹⁷⁾, raro viris singulis⁹⁸⁾ mandabatur.

87) Orat. XV, 3. — 88) Orat. XV.

89) Raro unus alterve senior liberabatur ea, ut Basilii Caesarensis, cf. Gregor. Nazianz. I. I. p. 328, et Eunapius, cf. Vita Proaeres. p. 77. Is enim propter aegritudinem exploratione liberatus est, quum Proaeresius convocatis ad se discipulis, nomine et eruditione insignibus, haec fecisset verba: Εἴ τι δὴ βούλεσθε χάρισσάι μοι, τῶ δημοσίῳ λουτρῶ τούτου καθήρατε, πάσης χλευασίας Φεισάμενοι καὶ παιδιᾶς, ὥσπερ ἐμὸν τινα παῖδα ψαίροντες.

90) Eunapius certe cum sociis, quo tempore sol in Libra noctem fecerat longiorem, post ferias aestivas (cf. not. 79 et 80) Athenas advenit; cf. Eunap. Proaeres. p. 74. Certo tempore et veterani advenis novitii in Piraeo et Sunio insidiabantur; cf. Liban. de fort. sua T. I p. 16.

91) Himer. Or. IV. XIII. XIV. Ecl. XXI.

92) Eunap. Proaeres. p. 81 et Himer. Or. XIII, 1.

93) Philostr. S. II, 5, 3, qui certamen uberius describit.

94) Himer. Or. XXII.

95) Philostr. II, 10, 7 et 12, 4. Alexander Aphrodisiensis in libro de fato, quem ante annum CCXI scripsit, c. 1 profitetur se de sententia Severi et Caracallae praeceptorem philosophiae Aristotelicae esse renunciatum, ὑπὸ τῆς μαρτυρίας [αὐτῶν] διδάσκαλον κεκηρυγμένον.

96) Philostr. II, 10, 4 (ἐπέταξεν).

97) Lucian. Eun. 2. Καὶ δικασταὶ Ψηφοφοροῦντες ἦσαν οἱ ἄριστοι καὶ πρεσβύτατοι καὶ σοφώτατοι τῶν ἐν τῇ πόλει; cf. Cresoll. Theatr. IV, 1.

98) Philostr. S. II, 2, 2. Marc. Antoninus commisit philosophos eligendos Herodi Attico.

Candidati maximam partem peregrini, non indigenae, munus academicum vulgo ambibant et *commissionem* de facultate docendi subire debebant; interdum tamen imperatores eos sine certamine renunciabant professores, qui vel virtutibus suis erant excellentes⁹⁹⁾, vel famae celebritate noti¹⁾, vel a populo Atheniensium per legatos expetiti²⁾, vel etiam precibus mulierum bene commendati³⁾; raro Athenienses sophistas peregrinos ad se arcessebant iisque professionem non petitam deferebant⁴⁾. Ubi proconsul iussu Imperatoris professoribus eligendis praefuit, inter petitores *commissionem* publice instituebat⁵⁾, argumenta de quibus vel commentata oratione vel ex tempore erat disserendum ipse proponebat⁶⁾, aut ab aliis⁷⁾ qui aderant proponenda curabat, leges dicendi praescribebat⁸⁾, victorem in fine certaminis renuntiabat eumque cum auditorum corona atque satellitibus honorifice domum deducebat⁹⁾. Qua in re sane iudicium proconsulis interdum largitione¹⁰⁾ vel gratia vel opinione praeoccupata captum fuisse consentaneum est.

Praeter proconsulem re, ut fieri solet, immutata et optimates Atheniensium, οἱ ἀριστοί, sapientissimi et eruditissimi de dignitate candidatorum post *commissionem* suffragia ferebant¹¹⁾ et successores creabant¹²⁾, quod tamen primum non nisi in

99) Philostr. S. II, 12, 2. Pollux propter mellifluam vocem electus est.

1) Ita Marc. Antoninus Adrianum fecit sophistam. Philostr. S. II, 10, 4. Οὐκ ἀκροάσει βασιλέως, ἀλλὰ συνθέμενος τῇ περὶ αὐτοῦ Φήμῃ. Idem imperator Theodotum ἀπὸ τῆς περὶ αὐτὸν δόξης αὐτὸς ἐπέκρινε τοῖς νέοις; cf. Philostr. S. II, 2, 2.

2) Ita Chrestus sophista. Philostr. S. II, 11, 1.

3) Philisco Thessalo M. Antoninus commisit cathedram precibus Iuliae matris suae commotus; Philostr. II, 30, 1.

4) Unus Libanius, quem Strategius proconsul commendaverat, decreto civitatis evocatus est, id quod ipse in summa sibi posuit laude de fort. sua T. I p. 59 R. Τὸ μὲν Ψήφισμα ἐγγράπτο. — τοῦτο οὕτω πρόσθεν Ἀθηναίους ἀκήκοα δράσαιτας· — καὶ τοὶ καὶ πρότερόν ποτε λόγοι λόγων ἠτιῶντο τῶν παρ' ἐτέροις οἱ παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' ὅμως οὐ φαίνονται κεκλημότες ἐτέρωθεν ῥήτορα.

5) Nulla est causa, cur de eiusmodi *commissione* sive probatione sollenni dubitemus, quod

fecit Ellissen I. I. p. 870. Cf. Eunapium Vit. Proaeres. p. 79. Χειροτονοῦνται δὲ δοκιμασθέντες ἀπάσαις κρίσει Προαιρέσιός τε καὶ Ἡφαιστίων καὶ Ἐπιφάνιος καὶ Διόφαντος κ. τ. λ.; cf. et Lucian. Eun. 3 et 5. τὰ μὲν οὖν τῶν λόγων προηγώνιστο αὐτοῖς.

6) Προβλήματα δοῦναι vel ζητήματα προβαλεῖν; Himer. Orat. IV, 1; XIII, 1. Eunap. Vit. Proaeres. p. 81.

7) Eunap. Proaeres. p. 82 sq.

8) Eunap. Proaeres. p. 83.

9) Eunap. Proaeres. p. 84.

10) Eunap. Proaeres. p. 80. δεκάσαντες τὸν ἀνθύπατον.

11) Id iudicium ab Herode Attico Atheniensibus translatum fuisse ait C. O. Müller I. I. p. 16, sed deest eius rei testimonium.

12) Lucian. Eun. 2 (cf. not. 97) et 3. Ἔδει δὲ — ἄλλον ἀντικαθίστασθαι δοκιμασθέντα ψήφω τῶν ἀριστῶν; et c. 5, ubi de iudicio est sermo. Hos fuisse Areopagitas vel senatores sibi persuasit Zumpt I. I. p. 52. In aliis urbibus id fiebat ab ordine *decurionum* (Cod.

philosophis surrogandis factum esse videtur et aetate demum Constantini Magni in sophistis eligendis¹³⁾. Num vero, ut creatio magistrorum rata esset, confirmatione imperatoria opus fuerit, quam Iulianus civitatibus Italiae imperavit¹⁴⁾, non constat sed verisimile est.

Ubi res arbitrio populi Atheniensis permissa est, quod seculo certe quarto factum esse constat¹⁵⁾, aliquando exarserunt summa *partium studia*, acerrima dissidia, qualia nunquam antea de rebus publicis; nam professorum electio civibus tunc erat res maximi momenti. Ita post Iuliani sophistae mortem, ut Eunapius¹⁶⁾ narrat, plurimi munus artis sophisticae ambierant et tota civitas Atheniensium, studiis sophistarum praestantiorum Epiphanii, Diophanti et Proaeresii incensa, in partes discesserat, neque sola Attica, sed etiam, unde plurimi discipuli Athenas affluerant, Pontus, Bithynia, Hellespontus, Asia minor maritima, Aegyptus, Arabia, aliae terrae; et tantum invaluit factionum furor, ut Proaeresius Athenas excedere cogeretur¹⁷⁾. Quae dissidia si dirimi non poterant, summa rei diiudicatio ad proconsulem vel ad imperatorem¹⁸⁾ deferrebat.

Probatio sophistarum, quae cum commissione erat coniuncta, prius a proconsule vel ab aliis viris eruditis¹⁹⁾ adeoque ab Imperatore interdum instituta²⁰⁾, postea autem neglecta, denique ex edicto Iuliani imperatoris satis severo instaurata est, ita ut non modo dicendi facultas, sed etiam mores examinarentur. Etenim professores quum omni doctrina instructi politice atque eloquentia et declamatione

Iustin. X, 52, 2) sive *curialium*, qui et *probatissimi* dicuntur ibid. X, 52, 8. Ut vero *singulis* certe Galliarum *urbibus*, quae *metropoles nuncupantur*, *nobilium professorum electio celebraretur*, ex lege imperatorum Valentis, Gratiani et Valentiniani anno CCCLXXVI p. Ch. n. erat constitutum; cf. Cod. Theodos. XIII, 3, 11.

13) Eunap. Proaeres. p. 79. Παραγγέλλουσι μὲν ἐπὶ τῷ κράτει τῆς σοφιστικῆς πολλοὶ καὶ ἄλλοι — χειροτονοῦνται δὲ δοκιμασθέντες ἀπάσαις κρίσει.

14) Cod. Theodos. XIII, 3, 15; cf. p. 17 not. 21.

15) Eunap. Proaeres. p. 79. Ἀπελθόντος Ἰουλιανοῦ τὰς Ἀθήνας εἶχεν ἔρως τῆς διαδοχῆς. — Ἐδεῖ γὰρ πολλοὺς εἶναι κατὰ τὸν νόμον τὸν Ῥωμαϊκὸν Ἀθήνησι τοὺς μὲν λέγοντας, τοὺς δὲ ἀκούοντας; quae ultima verba Zumpt (Ueber den Bestand etc. p. 56)

de candidatis et de iudicibus commissionis intelligenda esse optime docet. Sic Athenienses et de Libanio ad cathedram accedendo decretum fecerunt; Liban. de fort. sua T. I p. 59 R. τὸ μὲν ψήφισμα ἐγγράπτο; proconsul rem suaserat.

16) Proaeres. p. 79. Χειροτονηθέντων δὲ τούτων — εἰς τοὺς δυνατωτέρους ἢ πόλις εὐθὺς διήρητο, καὶ οὐχ ἡ πόλις μόνη, ἀλλὰ τὰ ὑπὸ Ῥωμαίοις ἔθνη.

17) Eunap. Proaeres. p. 80. Συστάσεως νεανικῆς καὶ μάλα σφοδρᾶς γενομένης τῶν ἄλλων ἀπάντων ἐς τοσοῦτον ἰσχυσεν ἡ στάσις, ὥστε τὸν ἄνδρα ἐξόριστον τῶν Ἀθηνῶν εἰργάσαντο.

18) Lucian. Eun. 12. Ἐγνωσαν ἀναπόμεμον ἐς τὴν Ἰταλίαν ἐκπέμψαι τὴν δίκην.

19) Cf. p. 15 not. 12.

20) Philostr. II, 10, 4.

extemporanea insignes, tum honesti, liberales, bene morati esse debebant²¹). Et quae ad bene docendum necessaria tunc videbantur Iulianus declarat in notissima epistola²²), qua professoribus christianis lectione scriptorum gentilium interdixit, his verbis²³ : Παιδείαν ὀρθὴν εἶναι νομίζομεν οὐ τὴν ἐν τοῖς βήμασιν, οὐδὲ τῇ γλώττῃ πολυτελεῖ εὐρυθμίαν, ἀλλὰ διάθεσιν ὑγιῆ νοῦν ἐχούσης διανοίας καὶ ἀληθεῖς δόξας ὑπὲρ τε ἀγαθῶν καὶ κακῶν, καλῶν τε καὶ αἰσχυρῶν. "Ὅστις οὖν ἕτερα μὲν φρονεῖ, διδάσκει δὲ ἕτερα τοὺς πλησιάζοντας, αὐτὸς ἀπολελεῖσθαι δοκεῖ τοσοῦτω παιδείας, ὅσω καὶ τοῦ χρηστοῦ ἀνὴρ εἶναι. Καὶ εἰ μὲν ἐπὶ σμικροῖς εἴη τὸ διάφορον τῆς γνώμης πρὸς τὴν γλώτταν, κακὸς μὲν εἰς τὸδε ὁμῶς τῷ τόσω γίνεται· εἰ δὲ ἐν τοῖς μεγίστοις ἄλλο μὲν φρονοίη τις, ἐπ' ἐναντίον δὲ ἄν φρονεῖ διδάσκει, πῶς οὐ τοῦτο ἐκεῖνο καπήλων ἐστὶν οὐ τι χρηστῶν ἀλλὰ παμπονήρων βίος ἀνθρώπων; οἱ μάλιστα παιδεύουσιν ὅσα μάλιστα φαῦλα νομίζουσιν, ἐξαπατῶντες καὶ δελεάζοντες τοῖς ἐπαίνοις εἰς οὓς μετατιθέμενοι τὰ σφέτερα ἐφέλουσιν, οἷμαι, κακὰ. Πάντας μὲν οὖν χρῆν τοὺς καὶ ὀτιοῦν διδάσκειν ἐπαγγελλομένους εἶναι τὸν τρόπον ἐπιεικῆ καὶ μὴ μαχόμενα τοῖς δημοσίᾳ μεταχαρακτηρίζοντας τὰ ἐν τῇ ψυχῇ φέρειν δοξάσματα· πολὺ δὲ πλεον ἀπάντων οἷμαι δεῖν εἶναι τοιοῦτους, ὅσοι ἐπὶ λόγοις τοῖς νέοις συγγίγνονται τῶν παλαιῶν ἐξηγηταὶ γενόμενοι συγγραμμάτων εἴτε βήτορες εἴτε γραμματικοὶ καὶ ἔτι πλεον οἱ σοφισταί. Βούλονται γὰρ πρὸς τοῖς ἄλλοις οὐ λέξεων μόνον, ἡθῶν δὲ εἶναι διδάσκαλοι καὶ τὸ κατὰ σφᾶς εἶναι φασὶ τὴν πολιτικὴν φιλοσοφίαν. Haec Iulianus.

Nihilominus erant interdum et Athenis professores, qui propter mores per-versos, luxuriam, edacitatem et servilem animum²⁴) displicerent, qualis fuit privatim docens Chrestus, Herodis discipulus, qui vino deditus sed temulentiam atque ferociam cohibens computationes ad gallicinium usque extendere solebat²⁵).

21) Cod. Theodos. XIII, 3, 5. T. V p. 35 et in Cod. Iustin. X, 52, 7. *Imp. Iulianus A. Magistros studiorum doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia; sed quia singulis civitatibus adesse ipse non possum, iubeo quisquis docere vult, non repente nec temere prosiliat ad hoc munus, sed iudicio ordinis probatus decretum Curialium mereatur, optimorum conspirante consensu. Hoc (deest cum seqq. in Cod. Iustin.) enim decretum ad me tractandum referetur, ut altiore quodam honore, nostro iudicio studiis civitatum accedant.* Data sane haec lex fuit Spoletii anno CCCLXII, cui Italia potissimum pareret sed et aliae terrae.

22) Epist. XLII.

23) Virtutes, quales professoribus in urbe Constantinopolitana esse debeant, laudant Theodosius et Valentinianus in rescripto anni CCCCXXV (cf. Cod. Theodos. VI, 21 et XIII, 3, 6) *laudabilem — probis moribus vitam, docendi peritiam facundiamque dicendi, interpretandi subtilitatem copiamque disserendi.* Eadem repetuntur in Cod. Iustin. XII, 15, 1.

24) Liban. Epist. 401 eiusmodi sophistas acerbè irridet dicens σοφισταῖς εἶναι δεῖ μέγιστος οἰκιῶν, πλῆθος νέων, γαστρὸς εὐρυχωρίαν, τὸ δουλεύειν εἰδέναι.

25) Philostr. S. II, 11, 2.

Praeterea singuli ibi vivebant praeceptores decrepiti neque amplius ad erudiendum habiles vel nondum maturi neque in docendo exercitati, pugnaces potius atque litigiosi quam veraces et religiosi, qua de re Libanius sophista seculi quarti queritur²⁶⁾. Denique labe seculi ingruente fere omnes doctores Athenis avaritia, nequitia, libidine, turpitudine ita erant corrupti, ut nomen sophistae, quod primum erat laudi atque honorificum, postea contumeliosum in despectum abiret.

Ceterum munus *oratione sollemni* auspicari solebant, quod Adrianus tanta fiducia fecit, ut professio non ab Atheniensibus tradita, sed ab ipso sponte suscepta esse videretur²⁷⁾. Quodsi contra opus erat, ut professores dimitterentur, id vel ab ipso Imperatore²⁸⁾, vel ab ordine decurionum factum est; Proaeresius certe, quum doctrinam sequeretur christianam, Iuliano imperante sophistarum Atheniensium loco remotus est²⁹⁾, sed Gordianus³⁰⁾, Valentinianus³¹⁾ et Valens imperatores ordini, quem diximus, id permiserunt et praeceperunt.

In *habitu ornatuque externo* sophistae³²⁾ admodum diligentes, e cathedra et stantes³³⁾ et sedentes declamabant. Alexander Cilix, vir pulcher, magnam adhibebat curam in specie augusta, barba promissa, dentibus candidissimis, toto corpore colendo³⁴⁾; et Adrianus vestem magnificam indutus gemmisque pretiosissimis ornatus splendidissime incedebat³⁵⁾, vel ad verba facienda curru habenis argenteis instructo vehebatur spectatusque cum pompa multitudinis circumfusae domum

26) Liban. Epist. 627. Τῶν γὰρ αὐτόφθι διδασκάλων οἱ μὲν διὰ γῆρας δέοιεντ' ἂν τοῦ καθεύδειν μαλακῶς ἐπὶ πλησμοιῇ· τοῖς δὲ ἴσως δεῖ διδασκάλων, οἱ τοῦτο πρῶτον αὐτοὺς παιδεύσουσι λόγοις κρῖνεσθαι καὶ μὴ ὄπλοις. Νῦν δὲ ἡμῖν στατιώτας ἀντὶ ῥητόρων ἐκκροτοῦσι, καὶ πολλοὺς εἶδον οὐλὰς ἐννηνοχότας ἀπὸ τῶν ἐν Λυκείῳ τραυμάτων.

27) Philostr. Soph. II, 10, 2.

28) Hadrianus quoque Romae (Ael. Spartian. 16) *doctores, qui professioni suae inhables videbantur, ditatos honoratosque a professione dimisit.*

29) Eunap. Proaeres. p. 92. Ἰουλιανοῦ δὲ βασιλεύοντος τόπου τοῦ παιδεύειν ἐξείργόμενος· ἐδόκει γὰρ εἶναι χριστιανός.

30) Cod. Iustin. X, 52, 2. *Grammaticos seu oratores decreto ordinis probatos, si non se*

utiles studentibus praebeant, denuo ab eodem ordine reprobati posse incognitum non est.

31) Cod. Theodos. XIII, 6, 7 et Cod. Iustin. X, 52, 8. *Reddatur unusquisque qui habitum philosophiae indebite et insolenter usurpare cognoscitur* (anno CCCLXIX).

32) Cresoll. Theat. III, 15.

33) Pollux Onom. VIII Praef. τὸν μὲν ἐκ τοῦ θρόνου λέγοντα, τὸν δὲ ὀρθοστάδην; quibuscum cf. Philostr. S. I, 24, 10.

34) Philostr. S. II, 5, 1.

35) Quibuscum cf. Gregor. Nazian. Epist. 131 (al. 233), ubi sophistae dicuntur *σοβαρὸν φθέγγεσθαι, μέγα βλέπειν, βαδίζειν ὑψηλὸν καὶ μετέωρον.* Singuli quoque Sophistae, etsi non Athenis docebant, sordidam barbam comamque habebant agrestique utebantur victu; cf. Philostr. S. I, 24, 4.

redibat³⁶); philosophi contra, inprimis Cynici, alterum humerum nudati cum baculo et pera incedebant, capillo promisso barbam alebant unguesque in morem ferarum gerebant³⁷).

Professores publici accipiebant *salaria sive stipendia* publica (τιμὰς), quem morem apud Athenienses nisi forte iam Antoninus³⁸) Pius, certe Marcus Aurelius³⁹) instituerat, imperatores postea servarunt⁴⁰). Salarium annuum Marco Aurelio imperante erat plerumque dena⁴¹) milia drachmarum sive bina milia quingeni thaleri, quod et sophistae et philosophi⁴²) merebant. Merces minor decreta fuit Apollonio, professori cathedrae politicae, talentum unum, quod sex milia drachmarum aequat⁴³). Omnino stipendia publica non omnibus professoribus eadem fuisse, neque sibi constitisse⁴⁴) videntur, aequalia tantum philosophis⁴⁵).

36) Philostr. S. II, 10, 2.

37) Tatian. adv. Graec. 41. Describit habitum Cynicorum Lucian. Fugitiv. 14 his verbis: Οὐ πολλῆς τῆς πραγματείας δεῖ τριβώνιον περιβαλέσθαι καὶ πήραν ἐξαρτήσασθαι καὶ ἕξιλον ἐν τῇ χειρὶ ἔχειν καὶ βοᾶν, μᾶλλον δὲ ὀγκᾶσθαι ἢ ὑλακτεῖν, καὶ λοιδορεῖσθαι ἅπασιν.

38) Capitolin. Anton. Pius 11. *Rhetoribus et philosophis per omnes provincias — salaria detulit.*

39) Marcum Aurelium primum stipendia dedisse indicat Philostr. S. II, 2, 1, ubi Theodotus, quem Marcus ipse sophistam designasset, Atheniensium iuventuti primus cum salario Imperatoris praefuisse dicitur. Quo cum loco cf. Dio Cass. LXXI, 3. Ὁ δὲ Μάρκος — ἔδωκε — πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλους ἐν ταῖς Ἀθήναις ἐπὶ πάσης λόγων παιδείας μισθὸν ἐτήσιον φέροντας. Lollianus itaque aut primus erat professor sine stipendio (cf. Philostr. S. I, 23, 1), ut J. G. Walch in Parerg. T. I p. 123 rem explicat, aut Marc. Aurelius id quod Pius omnium urbium rhetoribus sophisticisque largiri constituerat, Athenis demum perfecisse putandus est; cf. supra p. 8.

40) Ita Constantinus anno CCCXI p. Ch. n. (cf. Cod. Theodos. XIII, 3, 1, 3) et Iustinianus (cf. Cod. X, 52, 6) *grammaticis et professoribus aliis literarum — salaria reddi iubent, quo facilius liberalibus studiis et — artibus*

multos instituant; quae lex sane ad omnes spectabat academias. De salariis veterum sophistarum ac rhetorum disseruit J. G. Walch in Diatribe de praemiis vet. sophist. §. 8—10 in Parergis eius academ. p. 119—130.

41) Hinc dicuntur αἱ μύριαι (Philostr. II, 11, 1) vel αἱ ἐκ βασιλέως μύριαι (Philostr. II, 2, 1) stipendia publica. Liban. de fort. sua T. I p. 57 R. μυρίαῖς με κατακοσμεῖ δωρεαῖς.

42) Lucian. Eun. 3. Τὰ ἄλλα — ἦν — μύριαι κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐφ' ὅτῳ συνεῖναι τοῖς νέοις; et 8. Πρέποντα ταῖς μυρίαῖς, ἄς χροὴ παρὰ βασιλέως ἀποφέρεσθαι.

43) Philostr. S. II, 20, 1. Male alii (cf. Westerm. Gesch. d. gr. Bereds. p. 201, 7) diversitatem stipendiorum ex vario nummum pretio interpretari volunt, quod recte refutat Zumpt Ueber d. Bestand etc. p. 49, 3. Sic et C. L. Kayser (in Lolliano p. 10) sibi persuasit denarios pro drachmis fuisse numeratos, qui minoris pretii fuissent, ita ut decem milia denariorum talentum circiter aequarent; sed cf. Plin. H. N. XXI, 34, 109.

44) Vespasianus rhetoribus latinis graecisque, qui Romae erant, annua centena constituit; cf. Sueton. Vespas. 18. Constantius Eumenio rhetori, qui Augustoduni docebat, sexagena (non sexcenta) milia nummum pro salario annuo tribuit; cf. Eumen. Orat. pro restaur. schol. 11. 14. 16. Tatianus adv. Graecos 32 sexcentos aureos sive duodecim milia drachmarum philosophis graecis ab impe-

Ceterum haec stipendia ex fisco Atheniensium civitatis, non totius imperii solvebantur⁴⁶⁾.

Praeterea qui singulis philosophiae sectis praeerant ex fundis legatis, quos alienare non debebant, redditus habuisse videntur⁴⁷⁾. Accessit ad commoda annua ex fisco data *Minerval* (ὁ μισθὸς τῆς ἀκροάσεως⁴⁸⁾) sive *merces* eorum, qui scholas vel publice vel privatim⁴⁹⁾ docentium frequentabant. Merces autem varia erat pro fama magistrorum vel pro temporum conditione, quum doctoribus mercedem constituere permissum esset⁵⁰⁾. Proclus Naucratis iis, qui centum drachmas solverant, aditum non modo ad scholas omnes, quas aperiret, sed etiam ad bibliothecam, quam domi habebat comparatam, ut adiumentum publicae institutionis esset, concessit⁵¹⁾. Viri autem ditissimi pro commercio, cum sophistis insignibus habito, mercedem solvebant ingentem; sic Atticus pater Scopeliano sophistae pro filio erudiendo quindecim talenta dedit, quibus ipse Herodes Atticus totidem de suo postea adiecit⁵²⁾. In exigendis sane mercedibus, quae res legibus erat constituta et apud magistratum⁵³⁾ agebatur, singuli sophistae avari non semper liberalem

ratoribus datos fuisse dicit. Huc pertinet et constitutio Valentis, Gratiani et Valentiniani imperatorum, anno CCCLXXVI data (cf. Cod. Theodos. XIII, 3, 11), qua edicatur, *ut non liberum sit cuique civitati sive metropoli Galliarum suos doctores et magistros placito sibi iuvare compendio; sed oratoribus viginti quattuor annorum e fisco emolumenta donentur, grammaticis Latino vel Graeco XII annonarum deductior paullo numerus ex more praestetur. — Trevirorum vel clarissimae civitati uberius aliquid putavimus deferendum, rhetori ut triginta, item XX grammatico Latino, Graeco etiam, si qui dignus reperiri potuerit, XII praebeantur annonae.*

45) Cf. Lucian. Eun. 3 et Cresoll. Theatr. IV, 3.

46) Quamdiu hoc institutum manserit, non constat; aetate Valentiniani scribit Symmach. Epist. V, 33. *Romanae iuventutis magistris subsidia sollemnibus alimoniae detracta sunt; quanto prius in provinciis id factum fuerit.*

47) Ita Proclus academicus seculo quinto; cf. Suidas s. v. Πλάτων τὸν ἐν Ἀκαδημίᾳ — κῆπον, ὃς μέρος ἐλάχιστου ἦν τῶν δια-

δοχικῶν· ὁ μὲν γὰρ κῆπος ἐγγύς τι χρουσῶν τριῶν νομισμάτων ἀπεδίδου· ἡ δὲ ὅλη πρόσοδος ὕστερον χιλίων ἢ καὶ πλείονων ὀλίγον· ἠὺξήθη δὲ αὕτη κατὰ τοὺς νεωτέρους χρόνους [Phot. Bibl. 242 p. 346 Bekk. ὑπῆρχεν ἐπὶ Πρόκλου].

48) Philostr. S. I, 23, 1.

49) Philostr. S. II, 11, 1.

50) Lollianus μισθοὺς γενναίους ἐπράττετο, Philostr. I, 23, 2; Scopelianus mercedem aliam alii statuebat, cf. Philostr. S. I, 21, 5. Τὰς δὲ μελέτας μισθοῦ ἐποιεῖτο, ὁ δὲ μισθὸς ἦν ἄλλος ἄλλου καὶ ὡς ἕκαστος εἶχε. Cf. Cresoll. Theatr. V, 4 et Meurs. de fort. Att. 8. Mercedes grammaticis et professoribus aliis literarum reddi Constantinus anno CCCXXI p. Ch. n. ex lege communi iusserat (cf. Cod. Theodos. XIII, 3, 1, 3) et Iustinianus denuo constituerat; cf. Cod. X, 52, 6; cf. not. 40.

51) Philostr. S. II, 21, 3.

52) Philostr. S. I, 21, 7.

53) Athenis apud archontem, cf. Lucian. Hermot. 9 (p. 21 not. 54). Aliis in locis, ex lege Romana, extra ordinem teste *Ulpiano in*

verecundumque exhibebant⁵⁴⁾ animum, sed interdum discipulos foede et inhumane tractabant⁵⁵⁾. Inde factum est, ut singuli professores Athenienses magnas colligerent divitias⁵⁶⁾, ut Philiscus Thessalus, qui villam suburbanam habuit⁵⁷⁾, collectisque opibus liberaliter uterentur, quemadmodum Herodes Atticus, qui stadium Panathenaicum splendidissime extruxit et theatrum cum laquearibus ex cedro confectis, adeoque Isthmum perfodere in mente habuit⁵⁸⁾, et quemadmodum discipulus eius Adrianus, qui Athenienses ludis institutis, conviviis, venationibus sibi conciliavit⁵⁹⁾.

Sed et alia erant et emolumenta, et *praemia*, et honores honorumque tituli, quae professoribus inde ab Hadriano⁶⁰⁾ et Antonino Pio⁶¹⁾ tribuebantur⁶²⁾. Alii

libro VIII de omnibus tribunalibus (Dig. L, 13, 1) *praeses provinciae de mercedibus ius dicere solet — praeceptoribus — studiorum liberalium*, rhetoribus, grammaticis, geometris. Excepti erant philosophi (cf. ibid. L, 13, 1, 4), quum eas oporteret mercenariam operam spernere, et iuris civilis professores (ib. 5), quum civilis sapientia pretio nummario non esset aestimanda. Ceterum Demosthenis aetate merces Lenaeorum diebus solvebatur; cf. Athenae. X, 49 p. 437, c, Luciani autem aetate pridie Kal. singulis ut videtur mensibus; cf. Lucian. Hermotim. 81.

54) Propterea dicitur Apollonius Naucratis apud Philostr. S. II, 19, 2 οὐ βαρὺς ὑπὲρ μισθοῦ συμβῆναι. Lucian. contra in Hermot. 9 de Dionis auditoris contumeliis narrat haec: Ἐκείνον αὐτόν, ἐπεὶ τὸν μισθὸν οἶμαι μὴ ἀπεδίδου, κατὰ καιρὸν ἀπήγαγε παρὰ τὸν ἀρχοντα ἑναγχος περιθεῖς γε αὐτῷ θοιμάτιον περὶ τὸν τράχηλον καὶ ἐβόα καὶ ὠργίζετο· καὶ εἰ μὴ τῶν συνήθων τινὲς ἐν μέσῳ γενόμενοι ἀφείλοντο τὸν νεανίσκον ἐν τῶν χειρῶν αὐτοῦ, εὐῖσθι πρὸς οὐδὲν ἀπέτραγεν αὐτοῦ τὴν ῥίνα ὁ γέρον, οὕτως ἡγανάκτει; cf. et 81. Idem Lucian. Conviv. 32 de Cleodemo philosopho: Οὐδὲ ἄγχει τοὺς μαθητάς, ἢν μὴ κατὰ καιρὸν ἀποδώσι τοὺς μισθοὺς. Alii mercedem adeo fenerabantur, ut auditores usuras penderent; cf. Lucian. Hermotim. 10. Vide Cresoll. Theatr. V, 5 et 6.

55) Fuerunt contra, etiamsi non Athenis, qui quum discipulos esse pauperes sentirent, iis mercedem condonarent, ne aes alienum clam contra-

herent, Damianus, qui Ephesi scholas habuit; cf. Philostr. S. II, 23, 3. Οὐς γὰρ αἰσφοίτο ἀποροῦντας ἐξ ὑπερορίων ἔθνων ἡκοντας, ἠφίει τούτοις τὸν μισθὸν τῆς ἀκροάσεως, μὴ λάθοιεν δαπανώμενοι. Sic et Themistius docens Constantinopoli de se Orat. XXIII p. 289, c dicit: Τὸ μὲν ἐπαρκεῖν ἀπλῶς καὶ ἀναλίσκειν τοῖς ὀμιληταῖς δεομένοις πολὺ μοι φαίνεται ἐλευθεριώτερόν τε καὶ μεγαλοπρεπέστερον ἢ στρεβλοῦν τε αὐτοὺς καὶ κατατείνειν καὶ ἄγχει ἀναγκάζοντα ἀποτινῦναι μὴ οἴους τε ὄντας. Cf. et quae Philostr. S. II, 19, 2 de Apollonio Naucratis narrat. Alii sophistae reddiderunt mercedem, ut Lollianus Athenis, Philostr. S. I, 23, 1. Τὰ — χρήματα — τοῖς συμβαλλομένοις ἀπέδωκεν ἐπανεὶς τὸν μισθὸν τῆς ἀκροάσεως, vel, ut idem Lollianus, pro rebus domesticis scholasticorum minuebant; cf. p. 20 not. 50. Adolescentes publicis impensis sed gratis institutos fuisse Athenis, quod Alexander Severus (cf. Ael. Lamprid. Alex. Sev. 44) Romae fieri iusserat, non constat.

56) Cf. Cresoll. Theatr. V, 5.

57) Philostr. II, 30, 2.

58) Philostr. S. II, 1, 6.

59) Philostr. S. II, 10, 2.

60) Philostr. S. II, 10, 4.

61) Capitolin. Ant. Pius 11.

62) Scripsit Jo. Ge. Walch diatriben de praemiis veterum sophistarum rhetorum et oratorum, quae legitur in Parergis eius academicis (Lips. 1721) p. 103—160. Cf. A. Westermann in Gesch. d. gr. Bereds. p. 201, 8.

enim ex singulari imperatorum beneficio acceperunt *immunitates*⁶³⁾ sive vacationes tutelarum aliorumque officiorum sumtuosorum⁶⁴⁾ et molestorum, ἀτέλειαν λειτουργιῶν⁶⁵⁾, ut Adrianus sophista a Marco Aurelio⁶⁶⁾ et Apollonius Atheniensis a Severo imperatore⁶⁷⁾; qua immunitate singuli professores, ut poenas luerent, si inutiles vel non laudabiles se praebuerant⁶⁸⁾, interdum exciderunt, ut Philiscus sub Marco Antonino⁶⁹⁾ et Heraclides rhetor, qui in certamine declamationis coram Severo erat superatus⁷⁰⁾. Res enim ab arbitrio Imperatoris pendebat.

63) Primus Vespasianus magistris et grammaticis et oratoribus sive sophistis et philosophis concessit immunitatem hospites (Dig. L, 4, 18, 30), milites vel iudices (cf. Cod. Theodos. XIII, 3, 16) recipiendi, deinde idem fecerunt vel alias immunitates constituendo (cf. not. 64), vel easdem confirmando Traianus, Hadrianus, Antoninus Pius (Dig. XXVII, 1, 6 et Cod. Iust. X, 52, 4), Commodus (Dig. I. I.), Diocletianus (Cod. Iust. I. I.), Constantinus, qui non modo professores sed etiam eorum uxores et filios et res, *quas in civitatibus suis possidebant, ab omni functione et ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes esse praecepit* (Cod. Theod. XIII, 3, 1, 3 et Cod. Iust. X, 52, 6), Honorius et Theodosius (Cod. Theod. XIII, 3, 16. 17. 18 et Cod. Iust. X, 52, 11), qui compluribus constitutionibus id edixerunt, denique Iustinianus, qui philosophis munera sordida remisit; cf. not. 68. Quae immunitates, ab Ictis quoque laudatae, a Modestino (cf. Digest. XXVII, 1, 6, 1) et a Paulo, qui et angarias remissas fuisse dicit (cf. Digest. XXVII, 1, 6, 1 et L, 5, 10, 2 vel Recept. Sentent. I, 1, ε, 2), ex lege communi omnibus liberalium artium professoribus erant constitutae, eadem atque aliae professoribus urbis Romae; cf. Paulus in Digest. L, 5, 9 et Valentiniani constitutio in Cod. Theod. XIII, 3, 10. De immunitate professoribus latinis usque ad Constantini aetatem concessa vide Gaupp. de profess. et medicis p. 76 sqq. Cf. Gothofr. ad Cod. Theod. XIII, 3, 1 et 3 fin., Cresoll. Theatr. IV, 3 et Thorlac. Opusc. T. I p. 160 sq.

64) Herenn. Modestinus ea significat in Digest. XXVII, 1, 6, 8 ex epistola Antonini Pii, ἀτελεῖς εἶναι γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερο-

συνῶν, ἐπισταθμιῶν (cf. Digest. L, 4, 18, 30 et 5, 11), σιτωνίας, ἐλαιωνίας καὶ μήτε κρῖνειν, μήτε πρεσβεύειν, μήτε εἰς στρατείαν καταλέγεσθαι ἄκοντας, μήτε εἰς ἄλλην αὐτοῦς ὑπηρεσίαν ἐθνηικὴν ἢ τινα ἄλλην ἀναγκάζεσθαι; quae sane ad totum pertinebant imperium Romanum. Cf. Gaupp. I. I. p. 78 et Krausii Gymnast. p. 194 n. 21.

65) Philostr. S. II, 30, 2 et Westerm. de publ. Athen. honor. p. 11 sq.

66) Philostr. S. II, 10, 4.

67) Philostr. S. II, 20, 2. Legem antiquam de vacatione munera seculo quarto exeunte nondum fuisse abrogatam ostendit Liban. Epist. 296. Οὐ καλὸν νόμον παλαιὸν βοηθοῦντα ῥήτορσιν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς λυθῆναι.

68) Lex enim communis constituit in Digest. XXVII, 1, 6, 1 ex Modest. Lib. II Excusation. haec: Γραμματικοὶ σοφισταὶ ῥήτορες — ὥσπερ τῶν λοιπῶν λειτουργιῶν, οὕτως δὲ καὶ ἀπὸ ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας ἀνάπαυσιν ἔχουσιν. — Καὶ μέντοι οὐκ ἄλλως τὴν ἀλειουργησίαν ταύτην καρπώσονται, εἰάν μὴ δόγματι βουλῆς ἐγκαταλέγωσιν τῷ ἀριθμῷ τῶ συγκεχωρημένῳ καὶ περὶ τὸ ἔργον ὀλιγώρως μὴ ἔχωσιν. Sic et philosophis, qui se frequentes atque utiles per eandem studiorum sectam contententibus praebent, tutelas, item munera sordida corporalia remitti placuit, non ea quae sumptibus expediuntur, ex lege Dig. L, 5, 8, 4. Ceterum numerus professorum, qui immunes erant, pro magnitudine singularum urbium lege sua constitutus erat.

69) Philostr. S. II, 30, 1.

70) Philostr. S. II, 26, 1.

Idem *ius civitatis* Atheniensium per suffragia pro praemio certaminum accipiebant, ut Himerius⁷¹⁾, Adrianus⁷²⁾, Ptolemaeus Naucratis⁷³⁾, *vel magistratus*⁷⁴⁾ gerebant honorificos, praetura Athenis fungentes, ut Lollianus⁷⁵⁾ et Theodotus⁷⁶⁾, et in collegio Areopagitarum iudicantes⁷⁷⁾, ut Himerius, et Panhelleniis, Panathenaeis aliisque certaminibus praesidentes, ut Rufus Perinthius⁷⁸⁾ et Apollonius Atheniensis⁷⁹⁾, vel sacerdotiis praediti, ut Adrianus⁸⁰⁾ et idem Apollonius, qui et legationes obibat⁸¹⁾, vel munus administrantes apud Imperatorem, ut Herodes Atticus, qui Antoninum Philosophum et Verum privatim instituebat⁸²⁾. Adeoque Consules Romae fiebant, ut idem Herodes Atticus⁸³⁾, vel ex loco inferiore, qualis erat professio Atheniensis, *in superiore cathedram*, τὸν ἄνω θρόνον Romam evehebantur, et sophistae, ut Adrianus⁸⁴⁾ atque Pausanias Caesarensis⁸⁵⁾, et philosophi⁸⁶⁾. Alii ab Imperatore *ad comitatum arcessiti* sunt, ut Himerius⁸⁷⁾, vel *ad coenam vocati* inter victores honoratissimos assederunt, ut Proaeresius⁸⁸⁾, vel acceperunt *victum publicum, sedem praecipuam, opes, equos, mancipia*, ut Adrianus⁸⁹⁾, vel *dignitates* sive titulos honorum⁹⁰⁾, ut Proaeresius nomen magistri militiae⁹¹⁾, et Musonius, qui Asiae vicarius⁹²⁾ appellatus est. *Mortuos* denique doctores *pompa sollenni pro-*

71) Ecl. VII, 2 et Orat. VII, 3.

72) Philostr. S. II, 10, 2.

73) Philostr. S. II, 15, 1; cf. Westerm. I. I. p. 38.

74) De muneribus, quae sophistae administrabant, cf. J. G. Walch. Parerg. p. 148 sqq.

75) Philostr. S. I, 23, 1.

76) Philostr. S. II, 2, 1.

77) Cf. Himer. Orat. XXVII.

78) Philostr. S. II, 17, 1.

79) Philostr. S. II, 20, 1.

80) Philostr. S. II, 10, 4.

81) Philostr. S. II, 20, 1.

82) Iul. Capitolin. Verus 2.

83) Gell. N. A. IX, 2, 1 et XIX, 12, 1. Idem et liberis Asiae civitatibus praeerat; cf. Philostr. S. II, 1, 3.

84) Philostr. S. II, 10, 5 et 11.

85) Philostr. S. II, 13, fin.

86) Symmach. Epist. X, 25.

87) Orat. VI, 1. VII, 1.

88) Eunap. Proaeres. p. 89.

89) Philostr. S. II, 10, 4. Ἀγασθεὶς δὲ

αὐτὸν [Ἀδριανὸν] ὁ αὐτοκράτωρ [Μάρκος] ἐπὶ μέγα ἤρε δωρεαῖς τε καὶ δώροις. καλῶ δὲ δωρεὰς μὲν τὰς τε σιτήσεις καὶ τὰς προσεδρίας καὶ τὰς ἀτελείας καὶ τὸ ἱερᾶσθαι καὶ ὅσα ἄλλα λαμπρύνει ἄνδρας· δῶρα δὲ χρυσόν, ἀργύριον, ἵππους, ἀνδράποδα καὶ ὅσα ἐρμηνεύει πλοῦτον.

90) Cf. de titulis sophistarum J. G. Walch. Parerg. p. 130. Grammaticos tam graecos quam latinos et sophistas in urbe Constantinopolitana, *si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstraverint, si docendi peritiam, facundiam dicendi — copiamque disserendi se habere patefecerint per XX annos et coetu amplissimo iudicante digni fuerint aestimati, — honorari et his qui sunt ex vicaria dignitate connumerari* Imp. Theodosio et Valentiniano ex lege anni CCCCXXV placuit; cf. Cod. Iust. XII, 15.

91) Eunap. Proaeres. p. 90. Ὁ [Κωνσταντῆ] προσεδήκε τὸ μέγιστον τῶν ἀξιωματικῶν στρατοπεδάρχην ἐπιτρέψας καλεῖσθαι.

92) Himer. Or. V, 1. Ammian. Marcell. XXVII, 9, 6.

sequebantur, oratione funebri celebrabant, in loco insigni splendide sepeliebant, *statuis*⁹³⁾ et *inscriptionibus* honorabant, ut Lollianum⁹⁴⁾, Herodem Atticum⁹⁵⁾, Phoenicem Thessalum⁹⁶⁾ et Proaeresium⁹⁷⁾.

Consuetudinem inter professores quod attinet, ea non adeo erat familiaris et concors; saepe controversiae et inimicitiae inter eos exoriebantur⁹⁸⁾, invidia⁹⁹⁾ de multitudine discipulorum atque opibus collectis livorque gliscebat, insidias et fallacias alii aliis struebant, calumniis¹⁾ obtreptionibusque se vexabant, cavillationibus et conviciis se proscindebant. Et quae magistri inter se occulta concitaverant dissidia, ea discipuli auditoresque partium studio abrepti ita sufflarunt, ut ignes, quibus Athenae ipsae accendebantur, palam erumperent, dimicationes, vulnera, caedes orirentur²⁾. Sic propter aemulationem, quae erat inter Iulianum et Apsinem sophistas, tanta exarsit civium Atheniensium et adolescentium factio, velut civitate intestinum fovente periculum, ut nullus sophista publice prodire auderet³⁾; sic coniuratio et factio tantum invaluit, ut et Heraclides⁴⁾ et Proaeresius⁵⁾ et Libanius⁶⁾ et Proclus Lycius⁷⁾ eiusque discipulus Marinus⁸⁾ Athenas excedere cogentur.

93) De hoc honorum genere sophistis tributo cf. J. G. Walch. Parerg. p. 143 sqq.

94) Philostr. S. I, 23, 2. In honorem eius senatus populusque Atheniensis et iuvenes nobiles statuum posuerunt cum epigrammate, quod ita se habet:

Ἀμφότερον ῥητῆρα δικῶν μελέτησι τ'
ἄριστον

Λολλιανὸν πληθὺς εὐγενέων ἐτάρων·
Εἰ δὲ θελεις τίνες εἰσὶ δαήμεναι, οὖνομα
πατρὸς

Καὶ πατρὸς αὐτῶν τοῦνομα δίσκος
ἔχει.

Cf. C. L. Kayseri P. Hordeonius Lollianus (Heidelb. 1841) p. 7 et Welcker in Mus. Rhen. Nov. Coll. T. I p. 210.

95) Philostr. S. II, 1, 15; 10, 1.

96) Philostr. S. II, 22, fin.

97) Cui Romani statuum ex aere posuerunt; cf. Eunap. Proaeres. p. 90.

98) Inter Herodem Atticum et Secundum et Theodotum; cf. Philostr. I, 26, 1 et II, 2, 1.

99) Cf. Cresoll. Theatr. IV, 10, V, 14. Himer. Orat. IV. IX.

1) Himer. Orat. XIII.

2) Liban. de fort. sua T. I p. 60. Τοὺς πολέμους —, οὓς ἐτύγγανον ἑωρακίως, ἐν οἷς τραύματα πόνον πολλοῖς ἰατροῖς παρασχόντα συνέβη.

3) Eunap. Iulian. p. 69. Quas intulerint olim Athenis contumelias et vexationes narrat Liban. de fort. sua T. I p. 60 sq. Ἦκουον δὲ γε πρὸς οἷς ἐτεθεάμην τῷ μὲν Ἀραβίῳ (fort. Dio-phanto) λελουμένῳ τε καὶ ἐπ' ἄριστον ἰόντι ὄσο τινὲ μισθωτῷ βορβόρῳ κρύψαι τὸ πρόσωπον· Παφλάγονας δὲ τρεῖς ἅπαντα ἀδελφούς, τὴν Φύσιν, τὴν ἀμαθίαν, τὴν τόλμαν, τοῦ σώματος τὸ πάχος, τὸν Αἰγυπτίον ἀπὸ τῆς εὐνῆς ἀρπάσαντας, ἐπὶ τὸ Φρέαρ κομίσαντας ἐμβαλεῖν ἀπειλῆσαι καὶ μέλλειν, εἰ μὴ ὀμείται τὴν πόλιν ἐκλείψειν καὶ ἐξέλιπεν.

4) Philostr. S. II, 26, 2.

5) Eunap. Proaeres. p. 80.

6) Liban. Epist. 471.

7) Marin. Vit. Procli p. 15.

8) Phot. Bibl. nr. 242 p. 341, a.

Cum discipulis vero professores Athenienses consuetudinem habebant usumque plerumque familiarem etiam extra scholas. Calvisius Taurus Platonius dabat⁹⁾ saepe post quotidianas lectiones quaerendi quod quis vellet potestatem, vel discipulos¹⁰⁾ sibi cariores accipiebat coena plerumque ad id diei, ubi iam vesperaverat, qui vocati¹¹⁾, ne omnino ut dicitur immunes et asymboli venirent, coniectabant ad coenulam non cupedias ciborum, sed argutias quaestionum. — Quaerebantur autem non gravia nec reverenda, sed ἐνθουμήματα quaedam lepida et minuta et florentem vino animum lacessentia. Herodes quoque Atticus¹²⁾ accersebat saepe, qui apud magistros Athenis erant, in villam ei urbi proximam Cephisiam, ubi propulsarent caloris incommoda — totius villae venustate, aquis undique canoris atque avibus personante, ibique cum iis sermones habere solebat. Idem Herodes societatem literariam instituit, quam dixit clepsydrium ex eo, quod clepsydra sive aquae mensura tempus centenis versibus recitandis sufficiens constituerebat. Qua in societate decem ex auditoribus eius, ingenio literisque excellentes, quibus nomen erat clepsydritis, post lectiones publicas privatim admissi in declamationibus ex tempore habendis exercebantur¹³⁾. Dies quoque natales auditorum declamatione interdum a magistris celebrabantur¹⁴⁾. Adolescentes autem summo amore praeceptoribus coniunctissimi eos incredibili admiratione venerabantur¹⁵⁾, vel animum gratissimum erga eos testabantur¹⁶⁾.

Sed iam ad cives academicos sive auditores¹⁷⁾ sophistarum et philosophorum Atheniensium transeamus. Convenerunt, qui scholas eorum frequentarent, inprimis adolescentes, sed et viri¹⁸⁾ et feminae, ut Aedesia¹⁹⁾, Hermiae uxor, quae Procli lectionibus intererat; viri, qui consuetudinem et amicitiam philosophorum insignium

9) Gell. N. A. I, 26, 2.

10) Gell. N. A. XVII, 8, 1.

11) Gell. N. A. VI, 13, 2.

12) Gell. N. A. I, 2, 1.

13) Philostr. S. II, 10, 1; 13, 1.

14) Himer. Orat. VIII, 1.

15) Scopelianum sophistam eximium omnis iuventus Athenis Smyrnam secuta est; Philostr. S. I, 21, 5 ὁ δὲ ἦγε — νεότητά τῆν ἐξ Ἀθηνῶν πᾶσαν; Proaeresium autem, postquam orationi finem imposuit, auditores eius, ut Eunapius Proaeres. p. 84 narrat, καὶ τὰ στέρνα τοῦ σοφιστοῦ περιλιχυσάμενοι καθάπερ ἀγάλματος ἐνθέου πάντες οἱ παρόντες,

οἱ μὲν πόδας, οἱ δὲ χεῖρας προσεκύνουν, οἱ δὲ θεὸν ἔφασαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ Λογίου τύπον. Cf. Eunap. Iulian. p. 68 et Cresoll. Theatr. IV, 10.

16) Cf. supra not. 94 de Lolliani statua.

17) Dicuntur μαθηταί, γυμναστικοί, Φοιτηταί, ἀκροαταί, σχολαστικοί. Romae et Constantinopoli iuris legumque studiosi alia et partim ridicula habebant nomina e. g. dupondii; cf. Digest. Prooem. 2 et 5.

18) Sic Alexand. Severus post XXXII aetatis annum; cf. Ael. Spartian. Sever. 3.

19) Cf. Suidam s. v.

petere atque in scholis privatis mentem colere^{19a)}; praeterea pueri, qui maximam partem Athenienses fuisse videntur, una cum eorum paedagogis²⁰⁾. Summus autem erat adolescentium numerus, qui confluebant non modo Graeci ex omni Graecia et Romani ex Italia, sed etiam ex Aegypto, Arabia, toto litore Asiae minoris, ex Hellesponto, Ponto totaque regione orientem versus²¹⁾. Qui discipulorum concursus frequens partim ex more antiquo explicandus est, quo omnes eruditionis liberalis studiosi Athenas adire solebant, partim ex famae celebritate, qua plerique professores Athenienses in terris peregrinis florebant, denique ex eo, quod Athenis dii antiqui diutissime colebantur eamque ob rem multi religionis christianae adversarii illuc se conferebant.

Qua aetate adolescentes scholas academicas obire inque numerum civium academicorum referri soliti fuerint, non constat; res non ita, ut apud nos, certis legibus vel moribus constituta fuisse videtur. Hermotimus²²⁾ adolescens viginti annorum Athenas se contulit, Adrianus duodevicesimo aetatis anno²³⁾, Eunapius sedecim annos²⁴⁾ natus; plerumque ad annum usque XV vel XVI aetatis, quo *πρόσγβοι* nominabantur, scholas inferiores frequentabant²⁵⁾. Neque quamdiu literis operam navaverint, certum est; Eunapius quinto post adventum anno Athenis Aegyptum reversus est²⁶⁾. Philosophiae sine dubio longius, rhetoricae brevius impendebant tempus²⁷⁾.

Ceterum ut unicuique adolescenti licebat sine ullo impedimento²⁸⁾ academiam

19a) Gell. N. A. I, 2, 1.

20) Philostr. S. II, 21, 3.

21) Philostr. Apollon. VIII, 15. Νεότης ἡ ἐξ ἀπάσης τῆς γῆς Ἀθήναζε φοιτώσα. S. II, 1, 13. Οἱ — ἐν τῷ ἄστει Ἀθηναῖοι μισθοῦ δεχόμενοι Θράκια καὶ Ποντικά μειράκια καὶ ἄλλων ἐθνῶν βαρβάρων ξυνερρηγότα. Himer. Orat. XXII. XXVIII et Eunap. Proaeres. p. 79 sq.

22) Lucian. Hermot. 2.

23) Philostr. S. II, 10, 1.

24) Eunap. Proaeres. p. 92.

25) Lucian. Somm. 1.

26) Eunap. Proaeres. l. I.

27) Diocletianus et Maximianus de auditoribus Beryti (Cod. Iustin. X, 49, 1), maxime iuris studiosis decernunt, ut singuli usque ad vicesimum quintum annum aetatis suae studiis non avocentur.

Ex constitutione Valentiniani et Gratiani, anno CCCLXX data (cf. Cod. Theodos. XIV, 9, 3), his — qui sedulo operam professionibus navant, usque ad vicesimum aetatis suae annum Romae licet commorari; post id vero tempus, qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine praefecturae etiam impurius reverti iubetur. Iustinianus ad iuris Romani studia iuventuti quadriennium (Dig. Prooem. 1) vel quinquennium (ib. 2—6) concessit, dum singulos Beryti iuri studentes excepisse videtur; cf. Cod. Iust. l. I.

28) Aliter res ex lege Valentiniani et Gratiani, anno CCCLXX data, Romae erat constituta; cf. Codex Theodosianus XIV, 9, 1. *Quicumque ad urbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad magistrum census provincialium iudicum, a quibus copia est danda veniendi, eiusmodi literas proferant, ut oppida hominum*

Atheniensem adire, ita *in potestate cuiusque erat eligere sibi et professores et scholas* eorum, quas quisque frequentare vellet, atque ad alias aliorum transire²⁹⁾, etiamsi id sane interdum contra voluntatem parentum³⁰⁾ esse factum videtur, vel contra liberum arbitrium ipsorum advenarum³¹⁾. Etenim veteres³²⁾ sophistarum discipuli, qui praeceptoribus singulis blandiebantur, in Piraeo³³⁾ portu vel in Sunio promontorio³⁴⁾ stabant, insidiis excepturi novitios peregre advenientes, eosque in coenis³⁵⁾ potissimum venati allectos et circumventos pacto quovis vel sacramento³⁶⁾ adstringebant vel vi cogebant, ut certos professores plerumque unum eundemque³⁷⁾ certasque scholas adirent iisque adhaerent. Praeterea et ipsi doctores operam dabant, ut hospitio vel alia ratione numerum auditorum auferent, quod nec Proaeresius est aspernatus³⁸⁾. Fuerunt denique et discipuli, qui publicis scholis postpositis se ipsi privatim in dicendo conformare mallent, ut Libanius³⁹⁾.

et natales et merita expressa teneantur; deinde ut in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studijs operam navare proponant; tertio ut hospitia eorum sollicitè censualium norit officium, quo ei rei impertiant curam, quam se asseruerint expetiisse.

29) Himer. Orat. XXXIV.

30) Himer. Orat. XXVIII.

31) Himer. Or. XXVIII. Eunap. Liban. p. 96. Liban. de fort. sua T. I p. 13 R. Τῆς ἐπιούσης ἐν ἄσσει τε ἦν ἐσπέρας καὶ ἐν χειρσίν, ὧν οὐκ ἂν ἐβουλόμην· ἐπειτα τῆς ὑστεραίας ἐν ἑτέρων αὐ χειρσίν, ὧν οὐδὲ τούτων ἐβουλόμην· οὐ δὲ ἤλθον μετασχίσων, τοῦτον οὐδ' ὄρα ἔρχον ἐν πίθῳ μικροῦ καθειργμένους, οἷα τὰ ἐκείνων εἰς τοὺς ἀφικνουμένους τῶν νέων.

32) Προσαγωγὸι τῶν λημμάτων apud Gregor. Narianz.; cf. supra p. 12 not. 81.

33) Eunap. Proaeres. p. 74. Περὶ τὰς καθάρσεις οὐκ ὀλίγοι τινὲς ἐναυλόχου.

34) Liban. de fort. sua p. 16. Δραμεῖν μὲν εἰς Πειραιᾶ τε καὶ Σούνιον καὶ τοὺς ἄλλους λιμένας νέων ἐφ' ἀρπαγῇ, τῆς ὀλκάδος ἐκβάτων. Cf. et Gregor. Nazianz. Or. XX p. 327 in not. 49.

35) Liban. Epist. 1071. Καὶ παλαιᾶς ἀνεμνήσθην εὐδαιμονίας ὡς ἐπέβην τῶν

Θησέως Ἀθηναίων, ὡς ἐσπέρα τότ' ἦν, τοῦ λουτροῦ, τοῦ δεῖπνου, τῶν ἐν τῷ δεῖπνῳ λόγων καὶ ὡς ἕτεροι μὲν ἐθήρασαν, ἑτέρων δὲ ἦν ἡ ὄρνις.

36) Liban. de fort. sua T. I p. 14 R. Μέχρι τῶν ὄρκων ἐτηρούμην ὁ Σῦρος· ὁμωμοκότι δὲ ἤδη τοῖς παρούσιν ἀγαπήσειν ἀνοίγει τις τὴν θύραν.

37) Maxime in philosophia, qua re sane effectum est, ut animi discipulorum diversitate praeceptorum non distraherentur, sed nec facile magistros inter se comparare poterant. Qui praeter suum alios frequentabant doctores pro transfugis et desertoribus habebantur.

38) Eunap. Proaeres. p. 74 sq. Ὁ ναύκληρος, ὃν που καὶ ξένος Προαιρεσίου παλαιός, τοιοῦτον ὄχλον ὀμιλητῶν ἀράξας τὴν θύραν εἰσῆγαγεν εἰς τὴν οἰκίαν, ὥστε ἠνίκα πόλεμοι τινες ἐγίνοντο περὶ ἐνὸς μεϊρακίου καὶ δυοῖν, πλήρωμα διατριβῆς ὅλους σοφιστικῆς τοὺς ἐληλυθότας φαίνεσθαι. — Ὁ δὲ Προαιρέσιος συγγενεῖς ἰδίους κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην μεταπεμψάμενος παραλαβεῖν τοὺς ἐλθόντας κελεύει. — Καὶ οἱ μὲν ἀπεδέξαντο τοὺς ἐλθόντας καὶ ἤξαν εἰς ἀπετόνον καὶ περὶ τὰ λούτρα μετὰ πάσης ἐπιδείξεως.

39) Eunap. Liban. p. 96.

Vita academica per se non sumtuosa fuisse videtur; duo certe adolescentes admodum pauperes Athenis literis operam dedisse commemorantur, Proaeresius et Hephaestion, quibus inter se amore coniunctis una erat penula unumque pallium cum stragulis aliquot exiguis tritisque, ita ut alter altero in publicum prodeunte stragulis involutus domi delitesceret. Tanta erat utriusque egestas⁴⁰⁾. Alii adolescentes, inprimis philosophiae studiosi, ex legato testamentisque sustentabantur⁴¹⁾. Ceterum ditiores, ut nunc fit, vita beata fruente pilis ludere⁴²⁾, in palaestra se exercere, per vicos urbis noctu discurrere et in aedes pauperum irruere⁴³⁾, scholas non frequentare, luxuriose molliterque vivere⁴⁴⁾, in conviviis opes suas abligurire, pecunias mutuas sumere⁴⁵⁾.

Ut apud nostrates, Athenis quoque erant *sodalicia popularium*, quibus adscribebantur ii iuvenes literarum studiosi, qui ex variis regionibus, vel ex Arabia, vel ex Ponto finitunisque gentibus, vel ex terris orientem versus atque ex Aegypto accesserant⁴⁶⁾. Inde exortae sunt *consociationes iuvenum* χοροὶ neque tamen eo consilio initae, ut socii in familiaritatem venirent vitaque fruerentur laeta, sed ut singulis professoribus, quibus favebant, auditores compararent horumque numerum augerent⁴⁷⁾, aliis vero adimerent ipsosque cathedris expellerent⁴⁸⁾, ita ut

40) Eunap. Proaeres. p. 78. Aliud exemplum amicitiae academicae, ut ita dicam, praebuerunt Basiliius Magnus et Gregor. Nazianzenus; cf. huius orat. XX, 27 p. 329. Ἴσαι μὲν ἐλπίδες ἦγον ἡμᾶς πράγματος ἐπιφθουράτου τῶν λόγων, Φθόνος δὲ ἀπὴν, ζῆλος δὲ ἐσπουδάζετο· ἀγὼν δὲ ἀμφοτέροις οὐχ ὅστις αὐτὸς τὸ πρωτεῖον ἔχοι, ἀλλ' ὅπως τῷ ἑτέρῳ τούτου παραχωρήσειεν. Τὸ γὰρ ἀλλήλων εὐδόκιμον ἴδιον ἐποιοῦμεθα· μία μὲν ἀμφοτέροις ἐδόκει ψυχὴ δύο σώματα ἔχουσα. — ἐν δ' ἀμφοτέροις ἔργον ἢ ἀρετὴ καὶ τὸ ζῆν πρὸς τὰς μελλούσας ἐλπίδας πρὶν ἐνθὺνδε ἀπελθεῖν ἐνθὺνδε μεθισταμένοις.

41) Suidas s. v. Πλάτων p. 297. Ἀνθρώπων — κατὰ διαθήκας ἀπολειπόντων τοῖς φιλοσοφοῦσιν ἀφορμὴν τῆς ἐπὶ τῷ φιλοσόφῳ βίῳ σχολῆς καὶ γαλήνης.

42) Liban. de fort. sua T. I p. 18 R.

43) Liban. l. l. Ἀποσχόντος [ἐμοῦ] κωμοῦ τε καὶ κοινωνίας τῶν τε ἐν νυξίν ἐπὶ τὰς

τῶν πενεστέριων ποιουμένων οἰκίας.

44) Himer. Orat. XXII.

45) Liban. de fort. sua T. I p. 16 R. Δεῖπνα δὲ δεῖπνοις συνείροντα ταχὺ τῶν ὄντων ἀηλωμένων εἰς δανείσοντα βλέπειν. Idem contra Or. XLIV laudat Eustathium Carem, qui Athenis procul a fustibus gladiisque dies noctesque solis literis operam dederit.

46) Eunap. Proaeres. p. 79.

47) Liban. de fort. sua T. I p. 16. Πάντα τε τολμώμενα τοῖς νέοις ὅπως τὰ πράγματα τοῖς ἡγεμόσιν αἴροιεν, ut famam ludī magistrorum augerent, quemadmodum Reiskius verba interpretatur. Cf. Gregor. Nazianz. Or. XX p. 327 (not. 49).

48) Ita dicitur Heraclides Lycius (Philostr. S. II, 21, 2) ἐκπεσὼν τοῦ θρόνου τοῦ Ἀθήνησι συστάντων ἐπ' αὐτὸν τῶν Ἀπολλωνίου τοῦ Ναυκρατίτου, ὢν πρῶτος καὶ μέσος καὶ τελευταῖος ὁ Μαρκιανὸς ὁ ἐκ Δολίχης ἐγένετο; cf. supra p. 24.

factiones potius quam sodalicia dicere possis⁴⁹⁾. Cuiusmodi consociationibus praeerat ὁ τοῦ χοροῦ προστάτης⁵⁰⁾ antistes sive praeses, qui apud sophistas erat gratus⁵¹⁾. Is princeps cum sociis armatis in Piraeum se conferebat, ut novitios iam in patria iureiurando obstrictos exciperet, eos in societatem recipiebat atque tuebatur, vel rixas cum aliis sodaliciis conserebat eaque cum suis impugnabat fustes, lapides, gladios inferendo⁵²⁾. Accedunt computationes et commissationes⁵³⁾, amores et scorta, usurae aeris alieni cumulatae⁵⁴⁾. Fuerunt tamen et qui commilitones aegrotos curarent, foverent, balneis publicis lavarent⁵⁵⁾, amicitia inter se arcte coniuncti viverent omniaque communia haberent⁵⁶⁾.

Erant Athenis et *sodalicia iuvenum*, quorum socii in literis artibusque se exercerent, quales supra diximus clepsydratas. Quos inter Adrianus, cum Herodes discipulis suis praecepisset, ut ne computationis et convivii⁵⁷⁾ quidem tempore otiosi essent, sed et inter pocula de studiis literarum agerent, cum sociis tanquam particeps mysterii magni potavit, post potationem vero in medium prodiit

49) De his factionum studiis erga sophistas cf. Gregor. Nazianz. Or. XX (al. 43) p. 327. Σοφιστομανοῦσιν Ἀθήνησι τῶν νέων οἱ πλεῖστοι καὶ ἄφρονέστεροι οὐ τῶν ἀγεννῶν μόνου καὶ τῶν ἀνωτέρων, ἀλλ' ἤδη καὶ τῶν εὐγεγονότων καὶ περιφανεστέρων ἅτε πλήθος σύμμικτον ὄντες καὶ νέοι καὶ δυσκάρτεροι ταῖς ὁρμαῖς. "Ὅπερ οὖν πάσχοντάς ἐστιν ἰδεῖν περὶ τὰς ἀντιθέτους ἵπποδρομίας τοὺς Φιλίππους τε καὶ Φιλοθεάμονας, — τοῦτο καὶ αὐτοὶ πάσχουσιν ἀτέχνως περὶ τοὺς ἑαυτῶν διδασκάλους καὶ ἀντιτέχνους, ὅπως πλείους τε ὥσιν αὐτοὶ κἀκείνους εὐπωρότερος ποιῶσι δι' ἑαυτῶν σπουδὴν ἔχοντες· καὶ τὸ πρᾶγμα ἐστὶν ἐπιεικῶς ἀτοπον καὶ δαιμόνιον· προκαταλαμβάνονται πόλεις, ὁδοί, λιμένες, ὁρῶν ἄκρα, πεδία, ἐσχατιαί, οὐδὲν ὅ τι μὴ τῆς Ἀττικῆς μέρος ἢ τῆς λοιπῆς Ἑλλάδος, αὐτῶν τῶν οἰκητῶρων οἱ πλεῖστοι· καὶ γὰρ τοῦτους μεμερισμένους ταῖς σπουδαῖς ἔχουσιν.

50) Liban. de fort. sua T. I p. 16 R. Ὁλεθρον, ᾧ τοῦνομα μάλα εὐφημον, ὁ τοῦ χοροῦ προστάτης. Idem dictus est et ἀκρωμίτης et ius pallii sophistici habebat; cf. Olympiodor. ap.

Photium Bibl. cod. 80 p. 60, b. 30. Τοὺς τῶν διατριβῶν προστάτας τοὺς λεγομένους ἀκρωμίτας.

51) Gregor. Nazianz. Or. XX p. 327.

52) Liban. l. l. p. 17. Ἦν οὖν ἀτελής ἐξόδων καὶ στρατειῶν καὶ ἀγῶνων, ἐφ' οἷς ἔρχεται Ἄρης, καὶ παρατάξεων· καὶ δὴ καὶ ἐν τῇ μεγάλῃ μάχῃ πάντων συμπεπτωκότων καὶ ὅσους ὁ χρόνος ἀφίει, μόνος πόρρω που καθήμενος, ὁ τι ἕκαστος λάβοι κακόν, ἤκουον.

53) Liban. de fort. sua T. I p. 16 R. Δεῖπνα δὲ δεῖπνοις συνείροντα ταχὺ τῶν ὄντων ἀνηλωμένων εἰς δανείσοντα βλέπειν.

54) Liban. l. l. p. 18. Ἐπεὶ καὶ Σκύλλης κεφαλὰς ἢ — Σειρήνων δεινοτέρας γείτονας ἑταίρας μελωδούσας, αἱ πολλοὺς ἐξέδυσαν, μάτην ἀδούσας ἀπέφηναν.

55) Eunap. Proaeres. p. 75 sq.

56) Ita Basilius Magnus et Gregorius Nazianzenus; cf. Carm. huius I (al. XI) de vita sua vs. 221 sqq. p. 4 et not. 40 supra p. 28.

57) Quem morem secuti Plutarchus et Athenaeus Symposiaca et Deipnosophistica scripserunt, ut constat.

moresque sophistarum oratione facile fluente atque habitu bene composito expressit⁵⁸). Quo sane more factum est, ut ceteri adolescentes, qui bibendo potius quam dicendo studebant, clepsydritas per ludibrium διψῶντας sive sitientes appellarent⁵⁹). Alii, qui easdem frequentabant scholas eisdemque colebant doctores, Saturnalibus ad coenam conveniebant et iucundis honestisque sermonibus vel quaestionibus, quae solvendae una cum praemio ex sorte ponebantur, animum laxabant et demulcebant⁶⁰).

Neque deerant *controversiae rixaeque*, vel quaestionibus contentiosis atque captiosis⁶¹), vel etiam aemulatione magistrorum inter commilitones exortae, ita ut res saepius ab iurgando et altercando ad pugnandum et digladiandum veniret. Etenim quum professores interdum magnopere inter se dissiderent, fieri non poterat, quin non modo cives urbis et literarum studiosi in factiones discederent⁶²), sed etiam discipuli, qui pro suo quisque magistro propugnabant, inter se discordiis odiisque mutuis exardescerent. Sic maximae olim controversiae auditoribus Apsinae et Iuliani sophistarum inciderant, quorum illi, plerumque Lacedaemones validi atque robusti, Iulianeis mollioribus tenuioribusque manus violentas ferocesque audacius iniecerant; ac nihilominus tanquam ipsi iniurias passi hos male mulctatos in ius vocarunt⁶³). Sic et Libanius⁶⁴) dimicationes magnas acresque commemorat, in quibus vel singuli vel toti coetus congressi sibi verbera plagasque inferebant. Tantus autem erat interdum cum strepitu et clamore coniunctus eiusmodi furor atque tumultus factionum, ut iuvenes theatra oppugnarent, magistrorum aliarum scholarum sedibus exturbarent adeoque sauciarent⁶⁵), discipulos adversarios verberibus caederent vel etiam necarent⁶⁶).

58) Philostr. S. II, 10, 1.

59) Philostr. S. II, 13, 1.

60) Eiusmodi symposium Romanorum, qui studiorum causa Athenas venerant, describit Gell. N. A. XVIII, 2.

61) Gregor. Nazianz. Or. XX, 25 p. 323. Ἐπηρεώτων δὲ αὐτὸν φιλονεικῶς μᾶλλον ἢ λογικῶς.

62) Eunap. Iulian. p. 69.

63) Eunap. l. l., qui rem uberius describit. Ἐτυχόν μὲν γὰρ οἱ θρασύτατοι τῶν Ἀψίνου μαθητῶν ταῖς χερσὶ κρατήσαντες τῶν Ἰουλιανοῦ κατὰ τὸν ἐμφύλιον ἐκείνου πόλεμον· χερσὶ δὲ βαρείαις καὶ λακω-

νικαῖς χρησάμενοι τῶν πεπονθότων [Wernsd. addit καὶ] περὶ τοῦ σώματος κινδυνεύοντων, ὥσπερ ἀδικηθέντες κατηγοροῦν. Ἄνεφεροτο δὲ ἐπὶ τὸν ἀνθύπατον ἡ δίκη, καὶ ὡς βαρὺς τις εἶναι καὶ φοβερὸς ἐνδεικνύμενος καὶ τὸν διδάσκαλον συναρπασθῆναι κελεύει καὶ τοὺς κατηγορηθέντας ἅπαντας δεσμώτας ὥσπερ τοὺς ἐπὶ Φόνῳ κατακλεισμένους.

64) De fort. sua T. I p. 17; cf. not. 52 p. 29.

65) Ita Himerius ab aemulo eiusque auditoribus theatro expulsus vulneribusque erat afflictus. Orat. XXII ibique Wernsdorf. p. 750 sq.; cf. et not. 48 p. 28.

66) Cuiusmodi pugnas et conflictus (συμπλη-

Denique quemadmodum novitii cum pompa quadam recipiebantur, ita *emeriti* interdum, studiis Athenis peractis, sollenniter *dimittebantur*. Ubi enim aderat dies abundi, sodales et aequales una cum magistris convenientes sese extremum alloquebantur, tum discessuros prosecuti complectebantur, iis valedicebant⁶⁷⁾.

Disciplinam adolescentium *academicam*⁶⁸⁾ regebant vel ipsi professores in suis quisque scholis, partim verbis admonentes, partim in aliis exemplum statuentes⁶⁹⁾, vel in rebus gravioribus Proconsul Romanus⁷⁰⁾. Ne auditores, quod in scholis sophistarum fieri solebat, se invicem exhiberent conviciarenturve, Proclus Naucratis iis in theatrum intromissis certas constituit sedes, quas seorsim tenerent, hinc pueris,

γάδας) etiam Libanius iuvenis fando accepit, ut ait in orat. de fort. sua T. I p. 16 R. recensens τοὺς τῶν χορῶν ἐν μέσαις ταῖς Ἀθηναῖς πολέμους καὶ βόραλά τε καὶ σίδηρον καὶ λίθους καὶ τραύματα, γραφάς τε ἐπὶ τούτοις καὶ ἀπολογίας καὶ δίκας ἐπ' ἐλέγχοις. Cf. et Himer. Or. IX et XIX in eos, qui in conflictu versati scholas adire intermiserant. Alius Himerii auditor adeo indigna a malevolis passus est, ut in morbum incideret; cf. Orat. IX.

67) Gregor. Nazianz. Orat. XX, 44 p. 333. Παρῆν ἢ τῆς ἐκδημίας ἡμέρα καὶ ὅσα τῆς ἐκδημίας, ἐξιτήριοι λόγοι, προσπόμπιοι, ἀνακλήσεις, οἰμωγαί, περιπλοκαί, δάκρυα· οὐδὲν γὰρ οὕτως οὐδενὶ λυπηρὸν ὡς τοῖς ἐκεῖσε συννόμοις Ἀθηναῶν καὶ ἀλλήλων τέμνεσθαι. Τοίγαρ δὴ τότε θέαμα τι ἐλεεινὸν καὶ ἱστορίας ἄξιον· περιστάντες ἡμᾶς ὁ τῶν ἐταίρων καὶ ἡλικίων χορός, ἔστι δὲ ὦν καὶ διδασκάλων, οὐδ' ἂν εἴ τι γένοιτο μεθήσειν ἔφασκον ἀντιβολοῦντες, βιαζόμενοι, πείθοντες· τί γὰρ οὐ λέγοντες, τί δ' οὐ πράττοντες ὡς τοὺς ἀλγοῦντας εἶκος.

68) Cf. de ea Gottl. Wernsdorffii Dissertat. de moribus iuvent. scholast. in acad. Attica supra p. 1 not. 1 laudatam.

69) Plut. de discrim. adul. et amici 31. Ἀμώνιος ἐν δειλινῇ διατριβῇ τῶν γνωρίμων τινὰς αἰσθόμενος ἡριστηκότας οὐχ ἀπλοῦν ἄριστον, ἐκέλευσεν ἰδίῳ παιδί πλῆγὰς ἐμβαλεῖν τὸν ἀπελεύθερον ἐπειπὼν ὅτι χωρὶς

ἄξους ἀριστᾶν οὐ δύναται· καὶ ἅμα πρὸς ἡμᾶς ἀπέβλεψεν, ὥστε τῶν ἐνόχων ἄψασθαι τὴν ἐπιτίμησιν.

70) Quod vero nonnulli sibi persuaserant alium praeterea fuisse quasi morum praefectum, qui toti iuventuti Athenis praeuisset eorumque curam gessisset, qualis Theodotus (Philostr. S. II, 1, 1. προὔστη δὲ καὶ τῆς Ἀθηναίων νεότητος) et Adrianus (Philostr. S. II, 10, 4. Μάρκος ἐπέταξεν αὐτὸν τοῖς νέοις), idque colligunt ex Philostrati l. l. l. l. et ex Eunapio (Parnas. p. 95), qui τὸν παιδευτικὸν θρόνον commemorat, in eo egregie errarunt, quum illis locis sophisticum munus significetur neque alibi quidquam de morum praefectura apud Athenienses constet. Romae sane et Constantinopoli ex lege Valentiniani, anno CCCLXX data (cf. Cod. Theodos. XIV, 9, 3), literarum studiosi Censualium curae traditi erant et his commeatus libellum proferre, studia quibus operam daturi essent profiteri, hospitia quae habitare vellent indicare debebant, quo ei rei impertiant curam, quam se asseruerint expetiisse, et videndum, ut singuli eorum tales se in conventibus praebeant, quales esse debent, — nece spectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo intempestiva convivia. Iidem Censuales dirigebant breves sive indices ad Imperatorem annis singulis, quo meritis singulorum institutionibusque compertis, utrum quandoque essent necessarij, cognosci ab Imperatore posset. Beryti vero legum professores disciplinae prospexisse videntur; cf. Digest. Prooem. 10.

illinc adolescentibus, inter utrosque paedagogis⁷¹⁾. Himerius autem de negligentia auditorum querebatur⁷²⁾, vel eos petulantes contumacesque tecte carpebat⁷³⁾, vel turbantes atque tumultuantes⁷⁴⁾ interdum verbis benevolis sciteque compositis, docens quantum detrimenti ex moribus pravis habituri essent, ita ad verecundiam cohortabatur, ut mutuus semper inter praeceptorem et discipulos esset amor concentusque suavis⁷⁵⁾. Nonnulli sane vitiis iuventutis nimium indulgebant eiusque gratiam adulando captabant⁷⁶⁾. Alii contra fuerunt magistri, qui discipulis adeo verbera fustesque vel intentarent vel infligerent, sed pro incultis et plumbeis habebantur⁷⁷⁾. Ad disciplinam quodammodo spectavit et *cavillatio* atque *exploratio* in recipiendis novitiis eo consilio facta, ut non solum ingenium tentaretur sed etiam animus eorum morigerus redderetur⁷⁸⁾. Ubi vero delicta erant graviora vel factiones maiorem concitarant tumultum, causae cognitio ad Praesulem Romanum sive ad Praetorem Achaiae⁷⁹⁾ deferrebat. Hoc factum est in dissidio magno inter Iulianos et Apsineos exorto, ubi Praetor quaestionem instituit, reos comprehendendi vinciri iussit, accusatoribus et defensoribus dicendi locum concessit, denique ipse in iudicium consessu ius dixit⁸⁰⁾.

Denique ne vel Athenis deesset *parasitus* sive homo iocosus, qualis fere in omni literarum universitate invenitur, aetate Adriani sophistae homunculus fuit⁸¹⁾, qui facilem se praeberet cuique, vini cadum vel obsonii argentine aliquid vel vestimentum porrigenti; idem tamen, ubi negligere nihilque acciperet, conviciis uti atque acriter oblatrare solebat.

71) Philostr. S. II, 21, 3.

72) Orat. XV, 1.

73) Himer. Orat. XX.

74) Ἀγέλας νέων σκιρτώσας ἀτάσθαλα commemorat Himer. Orat. IV, 9 et Ecl. XVII.

75) Himer. Orat. XV, 2 et Ecl. XVII.

76) Himer. Ecl. XIX nominat discipulos, παιῖδας ἐκ μέσων Διὸς στέρων γειναμένους.

77) Quod Philager sophista vehementissimus auditori dormienti colaphum impegerat, res quidem erat insolita, quae et effecit, ut ille auctoritatem perderet (Philostr. S. II, 8, 1, 2), sed postea quoque professores discipulis fustes atque verbera intentasse Himerius Orat. XV, 2 indicat, qui ipse ἀντὶ πλῆγῆς ἀπηνούσας τὰ ἄσματα intendere malebat et negligentiores scholis removere; cf.

Orat. XXII, 7. Libanius autem (Epist. 119, ubi et explicat, quid ipse hac de re senserit,) contra negligentiores in literis plagas adhibebat, corio bubulo usus. Omnino disciplina iuvenum academicorum, qui erant Athenis, remissior fuit (cf. quae collegit P. E. Müller de genio etc. aevi Theodos. T. I p. 49—51), severior Romae et Constantinopoli (cf. legem Valentiniani anno CCCLXX datam in Cod. Theodos. XIV, 9, 3. supra p. 7 not. 34) et alibi; cf. Cresoll. Theatr. V, 6.

78) Cf. supra p. 12 not. 81.

79) Liban. de vit. sua T. I p. 16 R. Δραμῆν δὲ ὑπὲρ τῆς ἀρπαγῆς αὐτοῦ εἰς Κόρινθον κριθισόμενον.

80) Eunap. Iulian. p. 69 Boiss.

81) Philostr. S. II, 10, 3.

Haec fuit externa academiae Atheniensis species atque conditio; iam restat, ut *de interno eiusdem statu* nonnulla, quantum licet, disseramus, prius de literis artibusque quae docebantur. In universum *campus studiorum academicorum* neque magnus neque adeo varius erat; angustiae antiquarum scholarum ab ambitu hodiernae doctrinae multum distabant et plerumque artes liberales complectebantur. Curriculum studiorum non erat finibus⁸²⁾ circumscriptum; suo quisque arbitrato literis operam navabat. Plutarchus⁸³⁾ artes liberales omnes quidem esse colendas suadet, sed primo loco artem oratoriam commendat, cui philosophiam quasi caput et summum literarum fructum addit, deinde cum ea artem politicam esse coniungendam monet. Hinc et triplex erat Athenis literarum professio, *sophistica* sive *rhetorica*, *politica*, *philosophica*, diversae et in rebus, quae tractabantur, et in verbis, quibus res explicabantur. *Ars sophistica*⁸⁴⁾, tanto magis excolta eoque pluris aestimata⁸⁵⁾ ab hominibus illius temporis, quo minus reliquae valebant et patebant, duplex erat, prior eaque⁸⁶⁾ honorificentior eam habebat vim, ut doctrina quasi esset liberalium artium, ad mentes iuventutis conformandas aptissima, quum sophistae professores earundem artium optima quaeque adolescentes docere sibi viderentur; altera eaque recentior posita erat in simulata sapientia, quae rerum speciem potius ex opinione leviter attingit, quam res ipsas earumque naturam accurate perscrutatur, in argumentis ex quavis literarum disciplina promiscue repetitis, in cultu orationis fucato et putide ornato, in facultate ex tempore⁸⁷⁾ declamandi et dicendi cum sublimiore quadam ostentatione, qua de re quis audire vellet, in disserendo disputandove in utramque partem, ita ut sophistae eiusdem rei rationes causasque vel afferrent et defenderent, vel carperent et subverterent⁸⁸⁾. Quod ut et adolescentes addicerent, inprimis exercebantur in declamationibus et suasoriis et controversiis, quae vel in umbra scholarum vel in locis publicis habebantur.

82) Iustinianus solus in Digest. Prooem. 2—6 legum studiosis curriculum academicum apte intelligenterque praescripsit.

83) De educ. lib. 10.

84) Cuius artis cathedra dicta est ὁ σοφιστικὸς θρόνος vel ὁ θρόνος κατ' ἐξοχήν vel ὁ παιδευτικὸς.

85) Philostr. S. I, 25, 11. Τὸ δὲ μέτρον τῆς ἡλικίας τοῦτο ταῖς μὲν ἄλλαις ἐπιστή-

μαῖς γήρως ἀρχή, σοφιστῆ (σοφιστικῆ?) δὲ νεότης ἐπι' γηράσκουσα γὰρ ἢ δὲ ἢ ἐπιστήμη σοφίαν ἀρτύνει.

86) Wyttenbach. ad Plutarch. T. II p. 96, A. minus bene repetit a v. σοφίζειν h. e. alium sapientem facere.

87) Philostr. S. I, 20, 7.

88) Himer. Orat. XIV.

Ars vero politica et in rebus civilibus sive genere dicendi iudiciali, et in rebus publicis⁸⁹⁾ versabatur, a sophistico sive declamatorio dicendi genere diversa⁹⁰⁾. Etenim quum sophistae paullatim in iudiciis rebusque publicis, in legationibus, in allocutionibus Imperatorum, aliis eiusmodi rebus adhiberentur, haec quoque ars in scholis tractari coepta est iuvenesque orationibus et publicis et forensibus operam dabant; hinc discrimen est ortum inter sophistas et politicos, inter artem sophisticam et politicam, quarum haec, τὸ δικανικὸν et τὸ δημηγορικὸν complexa, causas civiles atque omnia, quae vel coram populo vel publice agebantur, tractare solebat⁹¹⁾.

Philosophia autem, cuius ad studium tunc quoque ex more antiquo omnes⁹²⁾ adolescentes se conferebant, qui ad humanitatem informabantur, trifariam erat divisa; alia egit de moribus et actionibus, alia in rerum naturalium contemplatione versata est, tertia in res metaphysicas inquisivit⁹³⁾. Et quum quattuor⁹⁴⁾ publice constitutae essent philosophiae cathedrae, professores vel sectam Academicorum profitebantur, vel placita Aristotelis colebant, vel familiam Stoicorum sequebantur, vel denique Epicuri sententias comprobabant. Raro aliis philosophiae scholis operam dederunt Pyrrhonicae et Cyrenaicae⁹⁵⁾.

Praeterea singuli in studia *grammaticae*⁹⁶⁾ sive artis criticae et *mathematicae*⁹⁷⁾

89) Inde professio dicta est ὁ πολιτικὸς vel πολιτικῶν λόγων θρόνος; cf. Philostr. S. II, 2, 2; 20, 1.

90) Philostr. S. II, 2, 2. Τὴν δ' ἰδέαν τῶν λόγων ἀποχωρῶν καὶ τοῖς δικανικοῖς καὶ τοῖς ὑπερσοφιστεύουσιν.

91) Upton. ad Dionys. Hal. de comp. 1. Qui πολιτικοὶ causas generis deliberativi tractabant, quales apud Dionem Chrysostomum et Libanium exstant.

92) Strabo XIV, 5, 13 p. 673. Ἵπερ-βέβληνται καὶ Ἀθήνας, — ἐν ᾧ (τόπῳ) σχολαὶ καὶ διατριβαὶ Φιλοσόφων γεγόνασιν; cf. et Philostr. Apoll. VIII, 15.

93) Himer. Orat. XIV, 23.

94) Lucian. Eunuch. 3 et Philostr. S. II, 2, quos contra Bernhardt Gr. Lit. T. I p. 413 frustra surgit.

95) Himer. I. I.

96) Magistri eius dicuntur κριτικοὶ τῶν λόγων, quos inter Athenis erat Munatius Tralensis (Philostr. S. I, 25, 7), Theagenes Cnidius

(Philostr. S. II, 1, 14), Longinus (Eunap. Porphy. init.), Polla (Philostr. S. II, 12, 2) et Pamprepus grammaticus sub Zenone imperatore; cf. Photii Bibl. 242 p. 346. Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι γραμματικὸν αὐτὸν ἐποιήσαντο καὶ ἐπὶ νεοῖς διδάσκαλον ἔστησαν. Quosnam potissimum scriptores et poetas cum discipulis legerint, non satis constat; nonnullos habet Plutarch. in libello *de audiendis poetis*; maiorem numerum laudat Dio Chrysost. XVIII T. I p. 476 sqq. R. respectu tamen artis oratoriae habito neque scholarum Atheniensium. Rationem autem interpretandi Lucianus (adv. Indoct. 2) quodammodo indicat, qui in legendo respici vult τὴν ἀρετὴν καὶ κακίαν ἐκάστου τῶν ἐγγεγραμμένων καὶ — ὅστις μὲν ὁ νοῦς σύμπασι, τίς δὲ ἡ τάξις τῶν ὀνομάτων ὅσα τε πρὸς τὸν ὄρθον κανόνα τῶ συγγραφεῖ ἀπηκριβωται καὶ ὅσα κίβδηλα καὶ νόθα καὶ παρακεκομμένα.

97) In qua Marinus Damascium instituit; cf. Phot. Bibl. 181 fin. p. 126 Bekk.

et astronomiae et geographiae et medicinae⁹⁸⁾ et musicae⁹⁹⁾ incubuerunt, quemadmodum Herodes Atticus¹⁾ et L. Appuleius²⁾ et Hermogenes Graeciae proconsul³⁾ et Basilius Magnus⁴⁾, sed id raro fecisse videntur, neque publico sumtu professores earum artium erant constituti. *Iuris professores*, qui leges docerent, vel nullos vel nonnisi imperitos Athenis fuisse ex Iustiniani Digestis⁵⁾ colligi potest, qui Novellas quidem sive L Decisiones fortasse eo miserat⁶⁾, sed *leges tradi — tam in regijs urbibus* (Romana et Constantinopolitana) *quam in Berytensium pulcherrima civitate — tantummodo vult, quod etiam a retro principibus constitutum est, et non in aliis locis, quae a maioribus tale non meruerunt privilegium, quia audivit etiam in Alexandrina splendidissima civitate et in Caesariensium et in aliis quosdam imperitos homines devagare et doctrinam discipulis adulterinam tradere.*

Rationem docendi quod attinet sophistae⁷⁾, nam de philosophis nihil fere constat, nisi quod Taurus cum discipulis Symposium Platonis legit⁸⁾, partim propter frequentiam auditorum, partim studiis suis obsecuti, disserendi potius quam disputandi⁹⁾ modo utebantur, ita ut plerumque singulas res vel laudibus efferrent vel vituperando extenuarent. Postquam cathedram ascenderunt, scholas novas¹⁰⁾ vel intermissas¹¹⁾ oratiuncula, qua animos audientium captarent, auspicari solebant. Declamationem vel interpellabant vel in fine sequebantur plausus, quos auditores manibus pedibusve¹²⁾ edebant, et acclamationes, quibus orator ad coelum extol-

98) Doctores eius dicti sunt *ιατροσοφισταί*, de quibus cf. C. O. Müller l. l. p. 15 et Ellissen l. l. p. 873; talis fuit Oribasius.

99) Plutarch. Quaest. Sympos. IX, 1.

1) Philostr. S. II, 1, 14.

2) Florid. IV, 20 p. 97 (p. 148 Bip.) *Ego et alias crateras Athenis bibi, poeticae commentam, geometriae limpidam, musicae dulcem, dialecticae austerulam.*

3) Himer. Orat. XIV, 25.

4) Gregor. Nazianz. Orat. XX, 40 p. 333.

5) Digest. Prooem. 7. Interdixit poenam denarum librarum auri statuens. Hinc et Malalas XVIII p. 187 Ox. (p. 451 Bonn.) tempore tamen alio constituto: *Ἐπὶ δὲ τῆς ὑπατείας τοῦ αὐτοῦ Δεκίου (DXXIX) ὁ αὐτὸς βασιλεὺς θεσπίσας πρόσταξεν ἐν Ἀθήναις κελεύσας μηδένα διδάσκειν φιλοσοφίαν, μήτε νόμιμα ἐξηγηεῖσθαι.*

6) Malalas XVIII p. 183 Ox. (p. 448 Bon.) et Biener. Gesch. d. Novell. p. 43 coll. cum p. 581.

7) In universum huc pertinent, quae disserit Cresoll. in Theatr. III, 21 sqq. et IV, 6 sqq.

8) Gell. N. A. XVII, 20, 1. De interpretandi ratione grammaticorum cf. Lucian. adv. Indoct. 2 supra not. 96.

9) De disserendi disputandique ratione sophistica egit Cresoll. Theatr. II, 3 sqq., de inventione sophistarum *καινά, παράδοξα, τέρατα* captante J. G. Walch. Parerg. (Diatrib. de enthusiasmo. vet. Sophist.) p. 427 et de elocutione eorum tumida atque de actione mox remissa, mox vehemente idem p. 383 et p. 390.

10) Himer. Orat. XII.

11) Himer. Orat. XVII, XXXI.

12) Lucian. Rhet. praecept. 21. *Οἱ φίλοι δὲ πηδάτωσαν ἀεὶ καὶ μισθὸν τῶν δειπνῶν ἀποτινέτωσαν — χεῖρα ὀρέγοντες.*

lebatur¹³⁾. Ubi sophistae rerum illustrium disputationem admittebant, quae plerumque inanem habebat eventum, utebantur saepissime inductione, non facile alia argumentandi ratione. Et exempla potius¹⁴⁾ declamationum, quibus animos adolescentium ad imitandum impellerent¹⁵⁾, quam praecepta artis dabant, quod nonnisi raro fiebat¹⁶⁾. Quae sophistae disseruerant, eorum hypomnemata, quae dicebantur, discipuli domi describebant¹⁷⁾.

Docebant vero magistri elegantiam verborum et compositionem orationis artificiosam, qua summa dicendi ratio tunc continebatur¹⁸⁾, ipsi plerumque sublimi et magnifico dicendi genere usi. Discipuli in exercitamentis oratoriis (ἐπιδείξεις) argumenta tractabant vel historica¹⁹⁾ vel philosophica vel forensia, ita ut prius magis imitando, postea proprio Marte declamationem vel artificiose perficerent (μελέτην), vel rem disserendo explicarent (διάλεξιν). Ante omnia vero operam dabant, ut ex tempore²⁰⁾ dicere possent, quod pro summa laude habebatur. In exercitationibus declamatoriis, partim domi elaboratis²¹⁾, partim ex tempore institutis, usu erat receptum, ut quilibet discipulus, antequam in medium prodiens certamen publicum in theatris publicis committeret, periculum sui apud sophistam intra parietes privatim faceret²²⁾, et si quis in certamine succumberet, a magistro admoneretur, ne scholis relictis secederet tristis²³⁾; studiosos enim eloquentiae oportere semper orationes meditari, cum oratio altera ex altera nascatur²⁴⁾.

13) Plutarch. de laude sui 12. Οἱ δὲ ῥητορικοὶ σοφισταὶ τὸ θεῖως καὶ τὸ δαιμονίως καὶ τὸ μεγάλως ἐν ταῖς ἐπιδείξεσι προσδεχόμενοι.

14) Cum fere semper dicendo se exercerent et loquaces essent, cognominabantur τέττιγες (Liban. Epist. 304) vel ἀήδονες (Basil. Magn. Epist. 20); cf. Cresoll. Theatr. V, 11.

15) Himer. Or. XII.

16) Philostr. S. I, 23, 2 de Lolliano: Τὰς συνοουσίας οὐ μελετηρὰς μόνον ἀλλὰ καὶ διδασκαλικὰς παρέχων.

17) Lucian. Hermotim. 2 ὑπομνήματα τῶν συνοουσιῶν. Codicem orationibus refertum, γραμματεῖον, ex scholis Libanii (Epist. 827) Celsinus quidam nactus est; cf. et Marin. Procl. 13.

18) Himer. Or. XIV.

19) Plutarch. Praec. pol. 16. Ταῦτα ἀπολιπόντας ἐν ταῖς σχολαῖς τῶν σοφιστῶν; adde Philostr. Prooem. I p. 481 Ol. Ἡ δὲ μετ' ἐκείνην [σοφιστικῇ] — τοὺς πένητας ὑπετυπώσατο καὶ τοὺς πλουσίους, καὶ τοὺς ἀριστέας καὶ τοὺς τυράννους καὶ τὰς ἐς ὄνομα ὑποθέσεις (causas finitas), ἐφ' ἃς ἡ ἱστορία ἄγει. Cf. et I, 21, 4.

20) Λόγους αὐτοσχεδίου; cf. Cresoll. Theatr. IV, 6, 7.

21) Philostr. S. II, 21, 3.

22) Himer. Orat. XVII, 6.

23) Himer. Orat. XIX.

24) Himer. Orat. XXIV.

Interdum et *probationes* adolescentium instituebantur non modo a doctoribus intra parietes, sed etiam in concertando coram viris extra accitis, qui spectarent. Cuius rei exemplum invenitur apud Plutarchum²⁵⁾.

Sed ut *corporis* quoque *vires* simul cum mente exercerentur et confirmarentur²⁶⁾, cum scholis academicis coniunctum erat gymnasium²⁷⁾, ab Hadriano conditum²⁸⁾, quod et peregrinis honestis, quibus erat nomen ἐπέγγραφοι²⁹⁾, adire licebat. Gymnasiorum curam tunc habebant κοσμηῆται³⁰⁾, magistratus ut videtur annuus, creatus ex Atheniensibus nobilibus; praeter eos erant σωφρονισται³¹⁾, sex quatuorve, item suffragiis creati, moribus adolescentium praefecti, qui curabant, ne quid in pudicitiam³²⁾ ab ephelis peccaretur; deinde *magistri gymnici*, qui corpora ephelorum exercitabant, inprimis παιδοτριβης³³⁾ (plerumque per totam vitae aetatem) et ὑποπαιδοτριβης³⁴⁾, qui exercitamentis praeerant; denique reliqui magistri, quos inter ὄπλομάχος³⁵⁾, qui adolescentes in usu armorum exercebat, et infimi loco θυρωρός³⁶⁾ *ostiarius* et λεντιάριος sive *lintearius*, qui subligacula conficiebat³⁷⁾. Ceterum quid in rebus gymniciis valerent, adolescentes exercitatiores in ludis sollennibus v. c. Hadriani³⁸⁾ palam exhibere solebant.

Hic erat status academiae Atheniensis, quae ab exordiis parvis profecta ex Hadriano ad Theodosium usque floruit et paulatim aucta atque amplificata totum humanitatis quae tunc erat eruditionisque orbem amplectebatur et novum scholarum genus instituit, quod et in studiis liberalibus tradendis et in moribus disciplina

25) Quaest. Symp. IX, 1. Ἀμμώνιος Ἀθήνησι στρατηγῶν ἀπόδειξιν ἔλαβε τῷ Διογενίῳ τῶν γράμματα καὶ γεωμετρίαν καὶ τὰ ῥητορικά καὶ μουσικὴν μανθανόντων ἐφήβων· καὶ τοὺς εὐδοκίμησαντας τῶν διδασκάλων ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλεσε.

26) De iis quae sequuntur cf. Ahrens de stat. Athen. p. 53 sqq. et Beutler. de Athen. p. 31 sqq., quibus me in hac dissertationis parte plurima debere profiteor.

27) Quod erat publicum, non palaestra, quae erat privata; cf. Hermann Privatalterth. §. 36 p. 183.

28) Cf. p. 10 not. 58.

29) Corp. Inscr. Gr. Tom. I nr. 275—77 ibique Boeckh. p. 379 et Krause Gymnast. p. 273 n. 1.

30) Corp. I. I. nr. 270, 4 et Erotian. de Hippocr.

Voc. p. 194. Τοὺς τῆς ἐφήβων εὐταξίας προνοοῦντας; cf. Krause I. I. p. 211—14.

31) Corp. I. I. nr. 2716 ibique Boeckh. p. 376 de numero olim denario, tum senario vel quaternario. Cf. de Sophronistis Krausium I. I. p. 210.

32) Phot. Lex. s. v. p. 487.

33) Corp. I. I. nr. 276, 6 et Krause p. 226.

34) Corp. I. I. nr. 279, 5 et Krause I. I. p. 219 et 227.

35) Corp. I. I. nr. 266, 5 ibique Boeckh. et Krause I. I. p. 241 sq. et not. 19.

36) Corp. I. I. nr. 270, 3. 16.

37) Corp. I. I. nr. 275, 71 ibique Boeckh. et Krause I. I. p. 242 n. 20.

38) Corp. I. I. nr. 246, 7 et Krause I. I. p. 764 n. 6.

excolendis certam praevit normam, ab aevo medio, quod vocant, in constituendis academiis partim adscitam.

Superest ut paucis indicemus, *quid academia Atheniensis profecerit, quidve praestiterit*. Quidquid in conditione eius academiae decursu temporum est mutatum, et multa sunt sensim commutata, servavit ea fovitque fere sola succum quasi et alimentum antiquae Graecorum humanitatis studia liberalia, ita ut duo certe arboris truncae veluti rami ars rhetorica et philosophia revirescerent, florent, fruges profferrent. Neutra sane earum tantopere excelluit tantumque praestitit, quantum scriptores illius aetatis nobis persuadere student³⁹⁾; attamen doctores prodierunt philosophi insignes, qualis Sextus Empiricus et Syrianus⁴⁰⁾ et Proclus, multoque plures rhetores atque sophistae, quales Lollianus⁴¹⁾, Herodes Atticus⁴²⁾, Longinus, Apsines, Diophantus, alii. Neque desunt discipuli excellentes, si inde colligere velis, quid academia Atheniensis effecerit, ut L. Appuleius Romanus⁴³⁾, Iulianus imperator⁴⁴⁾, Libanius⁴⁵⁾, Porphyrius philosophus, Adrianus sophista, Gregorius Nazianzenus⁴⁶⁾, Basilius Magnus Caesariensis⁴⁷⁾, Boethius⁴⁸⁾; denique supersunt scripta, vel a magistris vel ab alumnis academiae Atheniensis composita, quae sane cum praestantia et virtutibus librorum Platoniorum et orationum Demosthenicarum comparari nequeunt, nihilominus habent, quo se commendent, doctrinam, elegantiam, sollertiam, subtilitatem, ut scripta Aelii Aristidis, Libanii et inprimis Iuliani imperatoris, cuius epistola ad Athenienses, quae est praestantissima, optime declarat, quantum sophistarum institutio valuerit.

Attamen nec academia Atheniensis sortem rerum humanarum effugere poterat. Etenim qui iam antea nonnunquam in ea erat intermissus vigor quasi vitalis et Iuliani auctoritate resuscitatus vim suam ultimum exhibuerat, post Iuliani obitum plane est extinctus. Quod testantur scriptores illius temporis, de ieiunitate orationum querentes⁴⁹⁾, et indicant controversiae dimicationesque cruentae, quas sophistae atque philosophi⁵⁰⁾

39) Himer. Orat. XIV et Eunap. in Prooem.

40) Marin. Procl. 11.

41) Cf. de eo C. L. Kayseri P. Hordeonius Lollianus etc. et Welcker in Mus. Rhen. Nov. I p. 210.

42) Cf. de eo Ellissen Zur Gesch. Athens in Götting. Stud. 1847 p. 841 sqq.

43) Florid. p. 97 et Apolog. p. 545.

44) Liban. Orat. ad Iulian. T. I p. 377 R. et Zosim. III, 2.

45) Eunap. p. 166.

46) Sozomen. Hist. eccl. IV, 16.

47) Gregor. Nazianz. Or. 20 p. 329.

48) De disciplin. schol. 2. 4.

49) Himer. Orat. XXI; et sane iam diu ars oratoria in solis dicendi exercitamentis acquieverat.

50) Damasc. in vita Isidori apud Phot. Bibl. nr. 242 p. 351, a Bekk. *Διὰ τὴν στάσιν ὁ Μαρίνος ἐξ Ἀθηναίων εἰς Ἐπίδαυρον ἀνε-*

inter se inibant et exercebant. Studio optimarum literarum evanescente eruditio liberalis negligi coepta et excogitandi vis imminuta est; philosophi si unum exceperis Plotinum veterum doctrinas excerpabant, colligebant, verbis mutatis in medium proferebant⁵¹). Exarsit contra certamen inter defensores doctrinae gentilis⁵²) parum exultos et inter propugnatores religionis christianae indoctos, qui utrique veram humanitatis dignitatem parum cognitam habebant; emanavit christianorum furor caecus virtutes antiquitatis despicientium et gentilium magistrorum disciplina perversa, inanis, inutilis. Sophistae, qui ambigue dictis, quaestionibus captiosis, fallaciis, argutiis et cavillationibus usi adversarios irretire et decipere studebant, leves et inanes, nugaces et loquaces, putide nitidi et comiti, ab antiqua subtilitate, simplicitate, elegantia recedebant⁵³) et avari, invidiosi, superbi, vani magis speciem doctrinae cum ostentatione prae se ferebant, quam veram rerum cognitionem docebant⁵⁴); discipuli⁵⁵), quibus amphorae vini melliti in theatris proponebantur, Φιλοποσία potius quam Φιλοσοφία studebant⁵⁶); tum Imperatores, literarum artiumque ingenuarum plerumque expertes, omnem antiquitatis humanitatem gentilem insectati vel pulcherrima et honestissima debebant; denique res omnino infestae, quas

χώρησε τὰς ἄχρη τοῦ σώματος ἐκβαίνουσας ἐπιβουλὰς ὑφορώμενος.

51) Longin. Fragm. 5, 5.

52) Deos ab Atheniensibus magis diutiusque cultos fuisse quam ab aliis Graecis docet Gregor. Nazianz. Or. 20 p. 331. Βλαβεραὶ μὲν — Ἄσῆναι τὰ εἰς Ψυχὴν — καὶ γὰρ πλουτοῦσι τὸν κακὸν πλοῦτον τὰ εἰδῶλα μᾶλλον τῆς ἄλλης Ἑλλάδος. Procli demum aetate (sec. V) Minervae statua loco suo in acropoli mota atque sublata est; cf. Marin. Vit. Procli 30.

53) Cf. Westerm. Gesch. d. griech. Bered. p. 200 et not. 20.

54) Himer. Orat. XXXIII. XXXIV.

55) Quae P. E. Müller de genio aevi Theodosiani T. II p. 145 in universum disserit, in adolescentes quoque cadunt Athenis tunc versatos. *Adolescentes, qui in scholis rhetorum non quid verum esset, quid rectum, sed quomodo verum rectumque declamationibus efferretur didicerant; qui praeterea nihil nisi dicendi formulas aliunde arreptas consuere fuerant edocti, summam denique gloriam in declamando esse constitutam*

eamque non sententiarum veritate sed verborum tumore appetendam audierant; hi postquam excesserant ex ephebis cogitandi sentiendique rationem, quam tali disciplina foverant magistri, fidi discipuli in vita sua exserere debuerunt. Hinc suos quidem sermones, non autem recte facta tales homines severius diiudicaverunt; ipsi suoapte ingenio aliquid sanum vel excogitare vel peragere impares alios ditorum factorumque auctores turpi servitio coluerunt; nec serviliter adulari, nec fidem fallere, modo decus quoddam constaret verbis, indignum existimaverunt. Schlosser Gesch. d. alt. Welt T. III, 1 p. 50: Dialektische Kunst, Fertigkeit in der Beantwortung spitzfindiger Fragen, Lösung selbstgeschaffener Verwickelungen einer Untersuchung, Ausdruck, Sprache, Declamation und Geberdenspiel, mystische Deutung der alten Religionslehre, eine Philosophie, die dieser Deutung angemessen war, wurden in Athen — gesucht und — gelehrt.

56) Syner. Epist. 135. Ταῦτ' ἄρα καὶ ἡ ξυνωρὶς τῶν σοφῶν Πλουταρχείων, οἵτινες οὐ τῇ Φήμῃ τῶν λόγων ἀγείρουσιν ἐν τοῖς θεάτροις τοὺς νέους ἀλλὰ τοῖς ἐξ Ἑμίτη-

tempora tunc secum ferebant, haec et alia⁵⁷⁾ effecerunt, ut iam post Theodosium Magnum academia Atheniensis paullatim labi coepta postremo pessumdaretur⁵⁸⁾. Quamobrem non opus fuit, ut Iustinianus anno DXXIX per edictum scholas Atticas clauderet⁵⁹⁾ philosophosque expelleret⁶⁰⁾. Tunc academia literaria Atheniensium funditus eversa concidit et iacuit, donec nostra demum aetate resurrexit et restaurata est.

του σταμνίσις. De studio philosophiae Athenis neglecto sub Hegia seculo sexto ineunte locus est memorabilis Damascii in vita Isidori Phot. Bibl. nr. 242 p. 349, a Bekk. Εἰς τοσοῦτον γὰρ ἀκηκόαμεν φιλοσοφίαν καταθρονηθεῖσαν οὐδὲ πώποτε Ἀθήνησιν, ὅσον ἐωράκαμεν ἀτιμαζομένην ἐπὶ Ἡγίου.

57) Cf. supra p. 4.

58) Synes. Epist. 135 (anno CCCII scripta).

Ἦς οὐδὲν ἔχουσιν αἱ νῦν Ἀθήναι σεμνόν, ἀλλ' ἢ τὰ κλεινὰ τῶν χωρίων ὀνόματα — ἐνθένδε φιλοσοφίας ἐξωκισμένης. — αἱ δὲ Ἀθήναι πάλαι μὲν ἦν ἡ πόλις ἐστία σοφῶν· τὸ δὲ νῦν ἔχον σεμνύουσιν αὐτάς οἱ μελιττουργοί.

59) Malalas XVIII p. 187 Oxon. (p. 451 Bonn.); vide supra not. 5.

60) Agathias II, 30.

